



16807

16807

16807

APOCALY

PSIS IOHANNIS,


BREVITER IUXTA E-

ius effectum explicata: Que iam verif-
sime, ac breuissimæ Ecclesiasti-
cæ historiæ loco esse potest.

ACCESSIT ET PROTOMAR-
tyrium Habelis, de Christo, in quo de pri-
ma, uera, ueteri & perpetua Ecclesia,
eiusq; forma & fortuna typi-
cè agitur.

PER PETRVM ARTOPOEVM.

BASILEAE.



T. P.
A792

DÉDICATIO.

M Magna quamvis cupiâ, parua saltē suppetit facultas, Sanctissimamater Ecclesia, quę tibi diuinę Reuelationis dedicē cōmentaria (scholia potius) pro consolatione, à Domino benignè collata, dum tecum in hoc squalido deserto, ab infesto Dracone profligatus exulo, quibus hæc dura exilij tedia fallam, ac me communi tecum sorte consoler, donec commutatis vicibus, post horrendâ hanc tempestatem, gratior aura respirauerit, ne commissum à Domino talentū, penitus infœneratū reponam, dum sacrū à Christo mihi designatū, ab Antichristo prohibetur, ministeriū. Pręstantissimum, & solidissimum, præter cætera, commentariū subministravit experientia, non pro harum reuelationum dignitate, & amplitudine, sed pro mea angusta capacità, & qualicunq; sedulitate. Quod vt ab exordio, ita nunc in fine, maximè omnium est de tuo vsu, & necessitate, dum infernalis ille Draco per sceleratissimum suum Apollyontem, Angelum istum Abyssi, extremū fœuiat. Et quamvis plures, præstantioresq; in hæc sacra oracula commentati sunt, ne dedigneris quæso hæc exilia assumere, quæ sine tediosa prolixitate rem verbotim breuibus aperiunt, suamque amplitudinem, si

quis meditetur, includunt. Neq; per omnia absoluta propositio, relinquens Spiritui sancto suam libertatem, & multiformitatem, vt maneat in perpetuo exercitio, vsq; ad eius consummationem. Interim solemur nos de diuina prouidentia, de certo, & felici rerum euentu, & exitu. Neq; hinc humana iudicia moror, assumantur ne, an abijciantur, modò talentum dem ad vsuram, de qua respondeant Domino Christo trapezite.

Vale, & mutuis ad Deum precibus commendatum habe, ex tertio meo.

carcere Anno 63.

Tabula Apocalypseos, per singula capita.

Cohærent

1. De Authore, & argumento libri, de ordine reuelantium, de gloriosa persona Christi, aut eius mystagogi, de 7. candelabris, lapidibus, & stellis
2. & 3. de septem Ecclesiarum Angelis.
4. De uniuersali Ecclesia, eius Capite, & membris.

5. De

Succedanea
coherent

Vetera
uniuersalia

5. De libro hoc oraculari, sigillato, Agno, Christo, immolato, ad aperiendam tradito.
6. De septem sigillorum apertione, de quatuor equitibus grassatoribus, de statu iustorum occisorum, & de iudicio extremo.

Noua
specialia

7. De electorum consignatione, & numero eorum, ante extremum complendo.

8. De septem Tubis succedaneis usq; ad extremum, de ipsarum effectibus in Ecclesia, primum, de primis quatuor tubis & tribus Væ.

9. De tribus reliquis tubis, de Antichristianismo occidentali, & orientali, duobus Væ.

10. De Angelo, Christi glorificati mystagogo, nouissimi temporis certificatore, oracularè hunc librum apertum, Iohanni tradente.

11. De tertio, ultimo Templo, de duobus Testibus Christi, de ipsorum tempore nouissimo, De septima Tuba.

Vni-
uersa-
lia

12. De Ecclesia uniuersali, eius
perpetuo hoste Dracone, &
de eius defensore Michaelē, us-
que ad extremum.

13. De Bestia quarta antichri-
stiana, de tempore prioris &
posterioris eius Damnationis
& nomine.

14. De Agno Zionio, regno
Christi uniuersali usq; ad ex-
tremum, tribusq; eius Angelis
uolantibus.

15. & 16. De septem ultimæ
iræ Dei phialis, per septem an-
gelos effusis, tertio Væ.

17. De imagine florentis Anti-
christianismi, Bestiæ, & Mere-
tricis Babylonice.

18. De forma ruentis Babylo-
nis antichristianæ, nunquam
instaurandæ.

19. De gratulatione Ecclesiæ,
de extremo prælio Christi &
Antichristi, Herois, et Bestiæ.

20. De Antichristianismo ori-
entali, eiusq; tempore, succes-
sione, & fine.

21 & 22. De sponsa Agni, no-
ua Ierusalem, æternâq; felicitate
Ecclesiæ Electorum.

Spe-
cia-
lia

Occi-
denta-
lia

Orien-
talia

7

APOCALYPSIS IE=

S V CHRISTI PER S. IO-

hannem excepta, pro vsu mili-
tantis Ecclesiæ, verbotim, bre-
uiterq; explicata.

CAPVT PRIMVM.

De Authore, & argumento libri.

*Reuelantium ordo, propter reue-
lationis auctoritatem prepo-
nitur.*



REVELATIO) ora-
culum, arcanum, fatū,
vaticinium, mysteriū,
apocalypsis, visio.

Iesu Christi) Dei & ho-
minis, Regis & Sacer-
dotis nostri æterni, iam

glorificati.

Quam dedit ei Deus) Pater, primarius reue Iohan. 5.
lator. Filius à se non potest facere quicquā,
respectu humanitatis. Omnia, quæ accepi
à Patre, nota feci vobis. Vt audiui à Patre, Iohan. 1.

Iohan. 3.

sic loquor in mundo. Deum nemo vidit vnquam, Filius qui est in sinu Patris, enarrauit. Modus reuelationis, sequitur in cap. 4.

— *Vt ostenderet seruis suis*) ministris Verbi, Cultoribus. Non facit Dominus quicquã, nisi prius reuelauerit secretum suum seruis suis prophetis. Amos 3. Vobis datum est, nosse mysteria regni cœlorum. Matt. 13. Spiritus scilicet, futura annuntiabit uobis. Iohan. 16. Causa finalis.

Quæ oporteat fieri citò) perpetua successione, de forma, fortuna, & fine militantis Ecclesiæ, De regno Christi, & Antichristi, usque ad finem Mundi, De tempore, forma & signis diei extremi. Argumentum libri.

Et significauit) ex charitate, ratione participationis naturæ, crucis, gloriæ & scientiæ. Quæ audiui à Patre, nota feci uobis.

Misso Angelo suo) mystagogo, reuelationis medio, dum ipse ante gloriosam apparitionem ad iudicium, non apparebit in mundo. Posthac non videbitis me. Iohan. 16. Donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini. Matt. 23. Videbitis filium hominis in nubibus cœli. Matt. 27. Angelus, hîc est collectiuum, singulare pro plurali.

Seruo suo Iohanni) Apostolo, & Euangelistæ, tam seni, & ætate confecto, ne cogitemus de alia iuuenili petulantia, præ iudicio,

cio, & confictione. Qui erat inter illos, qui Christum interrogabant de ratione futurorum. Matt. 24. Actor. 1. Ioannes hic sustinet personam totius Ecclesiæ, cuius causa hæc reuelantur: Ipse excipit, & porrò communit Ecclesiæ.

Qui testificatus est sermonem Dei.) Patris de filio, cum inquit, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, Ipsum audite. Matt. 3. 17.

Et testimonium Iesu Christi) de Patre, quod miserit eum, & per eum operetur, quod ipse & Pater unum sint. Quibus mutuis testimonijs constat tota doctrina salutis nostræ: & prophetarum vaticinia, de totius mundi Salvatore, confirmantur, ad solidum nostræ fidei fundamentum.

Quæcunq; uidit.) certissima testimonia, non accepta ab alijs, sed oculariter conspecta, prædicando & describendo vitam, doctrinam & acta Christi. Est descripto indiuiduæ personæ: ad differentiam cuiuscunque alterius Ioannis, serui Dei, ministri Christi & Euangelij. Omnia faciunt pro huius reuelationis autoritate: & nostræ fidei confirmatione. Hactenus titulus seu inscriptio libri, sequitur eius commendatio.

(Beatus.) ratione doctrinæ de Christo & cautionis ab Antichristo, iacula præuisa

possunt caueri, aut certè minus feriunt. De forma & fortuna Ecclesiæ.

Qui legit,) scrutatur, meditatur sibi explicat, & prædicat alijs, vt verbum Dei, Psal. 1. 19. Ioan. 5. Contra eos, qui negligunt vt apocryphū: & monent alios ne legant. Pro eis, qui pro eius intellectu laborant, quamuis non omnia assequantur. Ex parte enim cognoscimus I. Cor. 13.

Et qui audiunt sermones prophetiæ huius, ac seruant ea, quæ in ea scripta sunt) Pari attentione & obseruatione cum Lege & verbo Dei, ne cogitem⁹ esse vana somnia, & ociosas vanaq; speculationes, nostræq; salutis cum dispendio negligamus, quæ in posterum de Christo, & Antichristo obseruanda sunt.

Tempus enim prope est) Attentionis & obseruationis ratio est, necessitas, καί ποὺ, destinatum tempus est, quod iam inquit instare, ne cogitemus eius protractionem, vt Danielis tempore. Hactenus de inscriptione, & argumento libri, ab eius authoribus Deo Patre, Christo, Angelo, & Iohanne, de rebus in posterū in Ecclesia agendis. Sequitur libri dedicatio ad destinatos susceptores, qui porrò vniuersæ Ecclesiæ per manus tradunt, perpetua successione ad finē vsq;.

Iohannes septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia.) minore, aut propriè, quibus scilicet, Iohan-

nes post discessum Pauli præfuit, cuiusque exilij causa erant sollicitæ, exoptabantque restitutionem, vt interim haberent suarum molestiarum ex præscientia, & destinatione Dei consolationem, negligentiores exhortationem. Quæ dedicatio porrò vniuersam Ecclesiam ad hunc librum obligat, ex iussu Angeli Christi, ne cogitemus nostro esse in arbitrio eius obseruationem.

Gratia uobis & Pax) Apostolica Saluatio est, & libri exordium. Gratia & pax coniunguntur, & habent se mutuò, vt causa & effectus. Gratia, complectitur totum actum Iustificationis nostræ, Pax, totum eius fructum, bonam conscientiam, inhabitationem & operationem Dei in nobis. Rom. 5. Iustificati gratis, per gratiam ipsius, pacem habemus erga Deum per Christum.

Ab eo, qui est, erat & futurus est,) Patre, æterno Deo, qui complectitur omnia tempora, præsentia & futura, qui est ante, & post mundum, perpetuò.

Et à septem Spiritibus) à septiformi Spiritu scilicet Deo, qui vnus inter personas trinitatis, multiformis donis & operationibus est. Iessa. II.

Qui in conspectu throni eius sunt) qui Spiritus sanctus cum Patre & Filio regnat perpetuò. Ecclesiam Dei septuplici renoua-

tione illustrat. Ad differentiam creatiuorum spirituum, Angelorum.

Et à Iesu Christo) uero Deo incarnato & passo: iam glorificato, & ad dexteram Patris regnante. Cuius sequitur personæ descriptio, proprietas in Trinitate & certa prædicata personarum.

Qui est Testis fidelis) de Deo Patre, à quo, quæ vidit & audiuit, testatus est nobis, Qui est in sinu Patris, enarrat nobis eius voluntatem benevolentiam, λόγος, Verbum, Sermo Patris ab initio, cuius narrata, sunt testimonia. Ipse absolutus, nos respectiui testes. In descriptione Christi, est prolixior, quòd est author & argumentū libri huius.

Primogenitus mortuorum) Respectu suæ humanitatis, virtute diuinitatis, meritò spontaneæ mortis & absolutæ reuerentiæ erga Patrem, typus vniuersæ resurrectionis, cæteris mortuis, ad eius typum quoq; resuscitatis, & resopitis, vsq; ad vniuersalem resurrectionem.

Princeps regum terræ). Monarcha mundi absolutus & æternus, iure creationis, possessionis & belli, meritò superatæ mortis & Sathanæ: cui data est à Deo Patre omnis potestas in cælo & in terra: quem adorant omnes Angeli Dei: per quem omnes reges regnant: cui flectitur omne genu cælestiū, terre-

terrestrium & infernorum, omnisq; lingua confitetur quòd sit in gloria Dei Patris. Qui tandè conteret omnia regna mundi, ac ponet omnes suos hostes scabellum pedum suorum. Cuius regni non erit finis.

Qui dilexit nos) absolutè, æquè vt Pater Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Sic & Filius, vt animam pro nobis poneret, quo factò, & dilectionis testimonio.

Lauit nos, à peccatis nostris,) Ipse purus, nostras sordes indutus, lauit nos, peccatis contaminatos, & sordidatos.

In sanguine suo,) Quo includit totum actū iustificationis, expiationis, redemptionis, & salutis nostræ, actionem & passionem suam, incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, missionem Spiritus sancti, & inhabitationem suam.

Ac fecit nos reges, & sacerdotes) Est effectus iustificationis pariter imputatiuè, & effecti uè, vt ipse est Christus vnctus, rex & sacerdos, ita & nos quoq; simus Christiani, vncti reges & sacerdotes, expiati eius sanguine, purificati eius spiritu sancto, victores saathanæ, peccati, & mortis, offeramus mortificatæ carnis nostræ viuas hostias, incendamusq; ardentes preces nostras.

Deo patri suo) æquè & nostro per ipsum, ad verum & perpetuum eius cultum.

Ipsi gloria) de summa hac beneficentia, laus, gratiarū actio, & excellens maiestas.

Et Imperium in secula seculorum) absolutum, & æternum, perpetua causa nostra, totiusq; creaturæ reuerentia, & obedientia.

Amen) verè, realiter, ex animo, sine simulatione.

Ecce, uenit cum nubibus) quòd eius est reliquum, ipse Ihesus Christus, Deus & homo, rex & sacerdos, ab impijs iudicatus, vicissim, præter opinatum, incerto temporis momento ueniet in nubibus iudicatum uiuos & mortuos.

Et uidebit eum omnis oculus) de cælo omnibus in uniuersum conspicuum in gloria iudicem.

Et quicumq; ipsum pupugerunt) dieterijs, sarcasmis, calumnijs, sophistica, & blasphemia suorum iudicum Iudex seuerissimus, non tantū de sua Persona, sed etiam de sua causa in omnibus suis ministris, & fidelibus.

Et plangent omnes tribus terræ) summa & æterna dictorum & factorum aduersus eum pœnitudine, qui nūc securè, & claro cachinno rident.

Etiam, Amen) sunt affirmatiōnes græca, & Ebraica, certè, verè, quantumuis rideatur:

Ego sum α & ω, principium, & finis, dicit Dominus, qui est, erat, & uenturus est) Inducitur Christus

Christus ipse de se loquens, superioraq; dicta firmans, cum suę personę descriptione, soli Deo congrua, in concreto humanitatis communi cum Deo patre, suprâ descripta. Nactenus salutatio, & exordium, cum attentionis beneuolentia, iam sequitur narratio.

Ego Iohannes) Narratio est, & reuelationis exordium, à Persona, loco, causa, & tempore.

Frater uester) communis nostri corporis, filius, per Christum.

Particeps in afflictione, in regno, et patientia Iesu Christi) Ea est totius Ecclesię communio & certa consequentia, iuxta phrasim Pauli, si compatimur, & conregnabimus, afflictionis finis est regnum & gloria, iuxta typum Christi. Sic oportuit Christum pati, atq; ita intrare in gloriam suam, vtraq; illa, crux & gloria, pariunt in nobis patientiam. Rom. 5. afflictio parit patientiam, &c. Eaq; omnia non nostra, aut propter nos, sed Christi: ipse affligitur, patitur, & glorificatur in nobis. iuxta illud, Saule, Saule, quid me persequeris? Nos in Christo, & Christus in nobis.

Fui in Insula Patmo) notus reuelationis locus, Patmos Ægæi maris insula est, ex Sporadibus, contra Ephesum, in quam iussu Cęsarıs Domitiani deportatus, exulabat ad triennium.

Propter

Propter sermonē Dei, & testimoniū Iesu Christi.)
 Commune crimen exilij, & afflictionis pio-
 rum, non priuata scelera, quamuis aduerfa-
 rij confingant turbationem pacis, & viola-
 tionē vsitatæ religionis. Sermo Dei Patris
 de filio, & testimonium Christi de Patre, su-
 præ sunt explicata.

Fui in spiritu) In oratione, & meditatione
 Dei, oportet Deum in spiritu adorare. Ioh.
 4. Aut more prophetico, fui in illustratione
 Spiritus sancti, ad videnda spiritualia, seu
 diuina.

Dominico die) Die paschatis, aut quolibet
 alio, propter resurrectionem Christi, loco
 sabbathi, sacro, ad spiritualia meditanda.

*Et audiui post me uocem magnam, tanquam tu-
 bæ, dicentis)* Apocalypsis initiū est. Vox Dei
 seria & sonora est, propter attentionem, &
 obseruationem rerum scitu necessariarum,
 & reuelandarum.

Ego sum α, & ω, id est, primus & nouissimus)
 Est descriptio personæ propter authorita-
 tem, & attentionem: periphraſis Dei, iuxta
 superiorem descriptionem, ex quo, per quē
 in quem omnia, causa & finis, fundamentū
 & terminus. Hic est Christus ipse, aut eius
 myſtagogus angelus, α & ω prouerbiū est,
 ex alphabeto græco sumptum, de prima &
 vltima litera.

Quæ uides) visu prophetico & oraculari unde dicti sunt videntes, diuinarum reuelationum spectatores.

Scribe in librum) vt diuina decreta, ad vsum præsentium, & posteritatis. vsus librorum.

Et mitte septem Ecclesijs) quas gubernas, & præsens monere non potes, quæ porro per manus tradant vniuersæ Ecclesiæ. Reuelata, proximis, sibi destinatis, communicanda & dedicanda sunt, non quæstus gratia.

Quæ sunt in Asia) minore seu propriè, *In Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiras, Sardes, Philadelphiam, Laodiceam.*) ciuitates celebriores & Episcopales, De quibus postea singulatim, & apud Geographos.

Et conuersus sum, ut uiderem uocem quæ loquebatur mecum) Est attentionis nota. Vox, pro re vocali.

Conuersus, uidi septem candelabra aurea) Prima reuelatio est, de re præsentis, ac significat sollicitudinem Ioannis pro suis Ecclesijs, consequenter de Ecclesia vniuersa in posterum, significatq; diuinam curam, & tutelam pro earum conseruatione, Ac si diceret, Ecclesiæ tuæ sunt in diuina Christi conseruatione, quantumuis sæuiat Antichristus persecutione, nisi quòd singulis hoc, & illud desit. quod de singulis indicabi-

tur. Postea significabo de forma & fortuna vniuersæ Ecclesiæ, vsq; ad extremum. Septenarius numerus originalis, & facer est. significat per hunc typum, vniuersæ Ecclesiæ reuolutionem, vt primi septem dies.

Et in medio septem candelabrorum) Totidè sunt dies Ecclesiæ, vsq; ad æternum Sabbathum. Alludit ad candelabrum septem lampadum Legis, quas incendit & curauit summus Sacerdos, cuius sequitur descriptio. Ipse quoniam est Sacerdos æternus, adhuc versatur inter suæ Ecclesiæ Candelabra, & curat suas Lampades, Verbi ministros, vt luceat Euangelium. Ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi.

Similem filio hominis) Christo, iuxta suam ipsius appellationem, ratione incarnationis. Aut myltagogus angelus est, Christi formam, personam, & officium representans, totius Apocalypseos fundamentum & actor.

Vestitum talari) Sequitur habitus. Vestis talaris est sacerdotalis, heroica, & festiua, significans sui glorificationem sacerdotalem, & regiam, iuxta apparitionem Ezech. 1. Matt. 17. Infra. 10. 19. Dan. 10.

Et præinctum ad mammillas zona aurea.) habitu heroico, & regio. Ex habitu persona agnoscitur sacerdotalis, & regia, pro consolatione

latione Ecclesiæ aduersus Antichristum.

Caput, & capilli eius candidi, vt lana alba, ut nix) Mentis candor, & antiquitas. Dan. 7.

Oculi eius, ut flamma ignis) acutissimi, corda scrutantes, Impios seuerè & cum ardore vindictæ aspicientes.

Pedes eius, chalcolibano similes, ut in camino ardentes) Affectus habet ardentissimos pro Ecclesia, contra impios.

Vox eius, ut uox aquarum multarum) Instar tonitru, sonora & seuera, non timidè, sed cum authoritate loquens, & pondere.

Habebat in dextera sua Stellas septem) habet in sua tutela & gubernatione Ecclesias speciales, & vniuersalem, in perpetua successione, & reuolutione, vt septem primos dies, vsq; ad finem mundi.

Ex ore eius gladius anceps acutus, exibat) Verbum penetrans corda, & renes, conscindens impios seuero iudicio. Infra. 19.

Facies eius, ut Sol lucet in potentia sua) Lux mundi, Sol iusticiæ, illuminans omnem hominem in mundo aliter pios, aliter impios, solis instar. Hactenus descriptio Christi iâ glorificati, iuxta typum in transfiguratione, in monte ostensum. Matt. 17. Aut eius mystagogi, angeli, huius Apocalypsis aëtoris.

Cum uidiissem eum, cecidi ad pedes eius, quasi

mortuus.) vt olim in monte cum Petro, & Iacobo, dum visus est Christus in gloria. Matt. 17. & Daniel ad conspectum angeli. Danie. 10. quòd impuræ carnis infirmitas, sustinere non potest diuinæ maiestatis gloriam.

Es posuit dexteram suam manum super me, dicens mihi, noli timere.) Christus sua maiestate suis est cōsolatorius, impijs terriolosus, vt Angelus custodibus, & mulieribus ad sepulchrum Christi. Specimen iudicij extremi.

Ego sum primus & nouissimus) verus deus cum Patre & Spiritu sancto, ex quo, per quem, & in quem omnia.

Viuus, & fui mortuus, & ecce uiuo in secula seculorum.) Differentia personæ Trinitatis, soli Christo, Deo & homini congrua.

Habeo Clauis inferni & mortis) Ratio resuscitatæ vitæ est, à facili, & porrò potestas pro suis, contra impios, suos resuscitandi. Impios in morte & inferis claudendi, quo aperiente nemo claudit, contrà, claudente nemo aperit. Ies. 22. non tantum inferos, sed & cœlū. Matt. 16. Mar. 16. Non est huic similis persona in cœlo & in terra.

Scribe quæ uidisti, quæ sunt, et quæ futura sunt post hæc) vt certa, & solida, præsentibus & posteris vsui futura. Causa finalis librorum scribendorum. Epilogus. Myste-

Mysterium septem stellarum, quas uidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea.) Expōnit sese. Septem stellæ, angeli sunt septē ecclesiarum: & septem candelabra, quæ uidisti, septem ecclesiæ sunt. De his suprâ facta est explicatio.

Tantum, de huius Reuelationis exordio, de reuelantium ordine, authore, & argumento libri huius. Sequuntur Epistolæ, ad septem Ecclesiarum Episcopos, pariter specialia, & generalia complectentes.

CAPVT II.

De prioribus quatuor Angelis.

Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe.) Ephesus, Ioniæ, Asiæ minoris vrbs, propter Emporium, Dianæ templum, Pauli literas, Ioannis sepulchrum, Patriarchatum, Synodus & Concilia Episcoporum celeberrima. Eius Episcopus post Paulum, Timotheus. Angelus dicitur honorificè & propheticè, ratione ministerij. Hag. 2. *Scribe) diuina decreta sibi, & eius posteris.*

Prima Epistola.

Hæc dicit, qui tenet septem Stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum) Christus, iuxta superiorem descri

ptionem, propter authoritatem, & attentionem. Qui tenet, qui ambulat, de præfenti, & perpetuitate. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Matt. 28.

Scio opera tua, laborem & patientiam tuam) Consolatoriũ pariter & meticulosum est, quod habeamus Christum, rerum, officij, omniumq; euentuum & contingentiarum nostrorum, præsentem & consciũ inspectorem, opitulatorem, custodem & vindicem omnipotentem, vt semper simus vigilantes, & seduli. Duo sunt opera ministerij, Labor pro officio, patientia crucis, propter officium, habent se vt causa & effectus.

Quod non potes sustinere malos, tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, inuenisti eos mendaces, tulisti, & patientiam habes, ac propter nomen meum laborasti, nec defecisti) Exponit sese de eius labore & patientia, ad eius commendationem; aduersus pseudapostolos, qui sub prætextu Euangelij Iudaizabant, de quibus Act. 15. & Paulus passim in suis epistolis, vt nostri falsi fratres, qui sub prætextu euangelij papizant & sophisticantur, qui æquè molesti sunt, atque aperti hostes, & aliquando nocentiores, ad nomen Christi, id est, puritatem Euangelij.

Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam

primam reliquisti) Accusat eũ socordię, quòd falsis apostolis concedat, eos permittat, non acriter resistat vt primũ: quod commune vitiũ est omnibus primum strenuis, postea ignauis, charitatem seu dilectionem sui, hĩc intelligit, quam postulauit à Petro. Ioan. 21. quam prędixit, inualeſcente iniquitate, refrixuram esse ad extremum. quę se habet ad sermonis Christi seruantiam. Qui diligit me, sermonem meum seruabit. Ioan. 14. Sermo est doctrina. Seruare, militare & athleticum est. aduersus eos, qui paci & ocio suo consolunt magis, quàm officio. Ea ignauia, iam tum Apostolorũ tempore cępit, donec Antichristus totum occupauit.

Memento itaq; unde excideris, age pœnitentiam, & fac opera priora) Salutaris monitio est, ad fedulitatẽ officij, omnibus vsui, pro cautione defunctionis. Deus non est captiosus, nec pręceps in nostram pernicem.

Sin minus) per securam obstinationem.

Veniam tibi citò) ab inopinato, vt seruo negligenti & infideli.

Ac mouebo candelabrum tuum, ex loco suo) exuam te officio per contingentias, senties seueritatem meam, & Ecclesia tua damnũ, vt constat per exempla. Exceptis ijs, qui ab ijciuntur per tyrannidem, propter officij fedulitatem.

Nisi resipueris) conditio pro cautione, ex diuina longanimitate, Nolo mortem peccatoris.

Prima secta.

Sed hoc habes) commendabile, *Quod odisti facta Nicolaitarum*) qui faciunt vxores communes, vt cæteras possessiones, Acto. 7. per cacozeliam Nicolai diaconi, qui falso insimulabatur, vxorem magis, quàm ministerium amare, quam suspicionem vt amoueret, publicè protestatus est, poti⁹ velle vxorem, quàm officium deserere. Secta, aut hæresis præter culpam authoris, ex inlicita interpretatione, vt earum plures. Ideo inquit Nicolaitarum, non Nicolai.

Quæ et ego odi) sexto præcepto vetita. admittens septimi præcepti dispensationem, seu facultatum communionem, si intercedat consensus.

Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs) Attentionis nota est, cum applicatione & obligatione exempli, ad quemlibet, cuiuscunq; loci, temporis & ministerij. Spiritus Christi, Sanctus, per Angelum, propter authoritatem additur.

Vincenti) Strenuè & constanter, in sua militia fidei.

Dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi Dei) Est periphrasis æternæ vitæ & salutis, per Adam perditæ, per Christum restitutæ,

tute, iuxta illud Christi, Qui perseuerauerit usq; in finem, hic saluus erit. Mat. 24. In quē Paradisum Christus cum Latrone, & omnibus sanctis commigrauit ex hoc uastissimo deserto. Paradisos est hortus cultissimus ex omni genere herbarum, florum, arborum, fructuum, volucrum, animantium, & uti describitur Gene. 2. Apoc. 21.

Et Angelo ecclesie Smyrneorum scribe) De Smyrna Homeri patria, Polycarpi Episcopatū, plura uide apud Strabonem. lib. 14. Secunda Epistola.

Hac dicit primus & nouissimus) Periphrasis Dei, iuxta superiorem descriptionem.

Qui fuit mortuus & reuixit) Differentia personæ deitatis, proprietas Christi, Dei & hominis.

Scio opera tua) ita & omnium, sedulis & afflictis consolatorium, ignauis & delicatis meticulosum, ut supra indicatū. Soli Deo congruum, Sancti dormiunt. Iessa. 63. Christus, quamuis in cœlos ascendit, nec cuiquam est conspicuus, ipse tamē omnia omnium temporum & locorū contemplatur.

Afflictionem & paupertatem) propter tyrannorum persecutionem.

Sed diues es) in Domino, habes Spiritum sanctum, & bonam conscientiam, pro quibus diuitijs non commutares totius mundi opes, & regna, dum inquit, Ego sum merces

tua magna nimis, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnū cælorum, Qui se, suaque propter me relinquunt, centuplum accipient, & vitam æternam possidebunt. Nihil habentes, omnia possidentes.

Et blasphemiam eorum, qui dicunt Iudeos esse sese, & non sunt, sed sunt synagoga Satanae) Non tam tua, quàm mea res agitur. Ego impetor conuicijs, mea fama laborat apud Indæos, Gentes, persecutores, antichristianos, sophistas & hypocritas, perpetuos meos hostes, à Caini vsq; tēpore, qui alto supcilio, & pleniori ore, omniūq; applausu & pari consensu, gloriātur se Ecclesiā, orthodoxos, & catholicos esse. Econtrā nos fanaticos, suermeros hæreticos, excommunicatos, damnatos & perissima esse, omnibus conuicijs, dicterijs & tormentis dignissimos, vt tumultuarios, & rerum turbatores. Vtraque enim scit & fatetur se scire Christus, piorū afflictiones, & impiorum persecutiones, adeoq; blasphemiam in seipsum. Quare ergo permittit, cum sit omnium iustissimus & potentissimus? Respondeo, propter primam causam in Paradiso inchoatam, positasq; à Deo lites, inter Mulierem, & Serpentem,

pentem, & vtriusq; semen, non nisi per semen Mulieris in fine mundi dirimendas. Quando semen Mulieris conteret caput Serpentis, ponetq; inimicos suos, scabellum pedum suorum, in iudicio extremo, tunc apparebit, vt qui se nunc gloriantur populum Dei, Ecclesiam Christi, sint Synagoga Satanæ. Ideoq;

Nihil horum timeas, quæ passurus es) perdura & peruince fortiter, vt meus confors crucis & gloriæ, non primus, nec postremus, nec nunc solus. I. Pet. 5.

Ecce, missurus est diabolus aliquot ex vobis in carcerem, ut tentemini, & habeatis afflictionem dierum decem) Ecce, me conscio & permitte, vt causa efficiente, vt Iob, ne quid cogites de fortuito euentu, Diabolus, calumniator, sophista, benedictorum & factorum maliciosus interpret, susurro, instigator & afflator apud tyrannos, vt causa instrumentalis, vt tentemini, causa finalis, de constantia fidei vestræ & doctrinæ Euangelij, ut tandem Veritas elucescat. Aurum non nisi per ignem glorificatur. Dierum decem, finito, breuiq; tempore, ne metuatis æternitatem, quæ erit diabolo & suis.

Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam uitæ) Hortatur ad constantiam, ut mili-

taris Heros, cum promissione perpetuò vitalis gloriæ. Polycarpus enim exultus est, ut ineminit historia Ecclesiastica.

Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat ecclesijs) & quasi sibi quoq; dictum putet, in simili causa, & casu.

Qui uicerit) satanam, impios sophistas, & tyrannos, morte corporali, quæ alioqui omnes rapit.

Non lædetur à morte secunda) spirituali, infernali & æterna, quam, commutatis vicibus, patientur omnes Impij, in æterna Dei seueritate, quæ superat omnes pœnas corporales, & est ipse ignis infernalis inextinguibilis.

Epistola
tertia.

Et Angelo Ecclesiæ in Pergamo, scribe) Pergamus, autum, Galeni medici, Apollodori Augusti magistri, & Papyrij martyris patria, ubi coriacea charta, pergamena, primum facta est, antea scribebatur in papyro, libro, seu cortice, postremò in charta linthea.

Hæc dicit, qui habet gladium ancipitem acutū) Christus, de quo supra, 1. Infra. 19. prædicatum soli ipsi conueniens: cæteri gestant gladium in latere Rom. 13. hic in ore. Illi solam carnem feriunt, hic diuidit animam & spiritum, Ebr. 4. Gladius est Verbum seueri iudicij Dei. Infra 19. Ephe. 6.

Scio

Scio operatua) officij tui administratio-
nem, quàm te geras in officio: contra secu-
ros, qui propter corporalem absentiam,
aut inuisibilem eius præsentiam, præter offi-
cium faciunt.

Et ubi habitas) scio tuam difficultatem.

Vbi thronus Satane est) vbi Satan suam ty-
rannidẽ mendacio & homicidio, aduersum
me palàm in pios exercet plena potentia,
falsa doctrina, idololatria, & persecutione.

Tenes nomen meum) vtique profiteris no-
men & Euangelium meum, de mea perso-
na & officio, quòd sim Deus & Homo, Rex
& Sacerdos æternus, Saluator mundi, im-
pugnans gentilem idololatriam, Iudæorum
blasphemia conuitia, Hypocritarum sophis-
mata.

Non negasti fidem meam) Exponit sese: ser-
uas mei publicam professionem, in media
& summa persecutione.

Et in diebus meis (quando) *Antipas testis
meus fidelis, occisus est apud uos, ubi satanas ha-
bitat*) In qua persecutione Antipas martyr
occisus est. Dies suos intelligit non carnis
sed causę suę, quãdo scilicet de Christo & E-
uangelio publicè actum est. Hactenus com-
mendatio sedulitatis, sequitur taxatio ne-
gligentię. Ita nihil est ab omni parte perfe-
ctum, etiam in fidelibus. *Sed habeo aduersum*

Num. 24.

te pauca, quia habes ibi tenentes doctrinam Balaam, qui docebat in Balac, ut mitteret scandalum coram filijs Israel, edere idolothyta, & scortari)
 Vt Bileam labefecit Israelem inuitatione ad sacrificia: ita permissio idolothytorum labefecit nouitios Christianos, de quibus Paulus Rom. 14. 1. Cor. 8. Ita nunc promissio Interimisticorum, Adiaphororum, labefacit nouitios euangelicos & retrahit totum Antichristianismum. Taxat perniciosam leuitatem, & negligentiam Adiaphororum, sub spe lucrificationis & inuitationis aduersæ partis.

Sic etiam habes tu, tenentes doctrinam Nicolaitarum) qui vt facultates, ita etiam vxores faciunt communes, ficto & falso exemplo Nicolai Diaconi, de quo supra, ita error errorem parit, idololatria fornicationem, vt est in regno Antichristi conspicuum.

Respice) corrige hoc vitium negligentiae.

Alioqui ueniam tibi cito) Ab inopinato dabis poenas negligentiae, defungeris.

Et pugnabo cum eis gladio oris mei) Te sublato, dabo alium strenuiorem impugnatorem Gentilismi perverbum Euangelij. Quod idola gentium sint daemonia, quod solus Christus sit adorandus & colendus, quod solum Euangelium sit praedicandum, sine tradi-

traditionibus, nec in vtrunq; latus claudicandum.

Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs) Intercalaris repetitio & cautio est ad singulos, sibi in similibus vitijs conscios.

Vincenti dabo edere ex manna abscondito) fidelem & strenuum in officio alam singulari prouidentia, vt Israelem in deserto, etiam si destituatur à mundo. Item, edet manna absconditum, & spirituale, quod de cælo descendit, quod mundus ignorat, de quo Ioan. 6. Ego ero eius cibus, ne ventris causa deserat officium, aut mei professionem.

Ac dabo ei calculum candidum) Bonum testimonium de fidelitate. dicam in extremo Euge serue bone & fidelis. Matt. 25.

Et in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit) Nomen nouum, est filius gratiæ Dei: nomen vetus est filius iræ, in atro calculo: hoc est, habebit testimonium bonæ conscientiæ, 2. Cor. 1. quo apud se certus & securus erit in iudicio extremo, calculis albis olim absoluebantur, atris damnabantur rei in iudicio. Nemo scit alterius absolutionem, aut damnationem, sed quisq; suam. Non ergo iudicemus alios, sed nos ipsos.

Angelo

Epistola
quarta.

Angelo in Thyatiris ecclesiæ scribe) Thyatiræ hîc, & Actor. 16. in plurali, alias Thyatira, vrbs Lydiæ circa Cairum fluuium, patria Lydiæ purpurariæ, quæ excepit hospicio Paulum.

Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos ut flammam ignis, & pedes chalcolibano similes) Pro authoritate personæ, pro adfectu rerum, & pro attentione dicendorum.

Scio opera tua, charitatem, ministerium, patientiam, & gesta tua postrema plura prioribus) Est egregium testimonium à Christo ipso, ratione officij.

Sed habeo aduersum te pauca) Adeò nihil est ab omni parte perfectum, etiam in sanctis, ne nobis placeamus, alios despiciamus; sed vt cum timore, Domino seruiamus.

Quia permittis mulierem Iezabel, appellan- tem sese prophetam, docere & seducere seruos meos, scortari & idolothyta edere) Alludit ad Iezabelem veterem, propter impietatis similitudinem. 3. Reg. 16. Indicat præsignem aliquam gentilis idololatriæ propugnatricem. Taxat Episcopi negligentiam, & timiditatem, quòd eam, authoritatis respectu & persecutionis metu, permittat, vt nostrorum plurimi. quòd se non illi opponat, vt Elias, vt Iohannes.

Dedi

Dedi eitempus, ut resipisceret à fornicatione sua, sed non resipuit) Monita perdurat contra conscientiam, in idololatria, in spiritali fornicatione, peccat in Spiritum sanctum.

Ecce, ego mitto eam in lectum, & moechantes cum ea, in afflictionem maximam (nisi resipuerint ab operibus suis.) & filios eius interficiam morte) Dabit ipsa cum omnibus suis affeclis, memorabiles, singulares, horrendasq; pœnas, de ista idololatria, seu spiritali fornicatione, ex iusto zelo Dei, quia ego sum Dominus Deus, clara Patris voce designatus, honorem meum alteri non dabo, fortis, zelotes.

Ac scient omnes ecclesie, quod ego sim scrutans renes & corda. ac dabo cuiq; uestrum iuxta opera sua) Declarabo meam diuinam potentiam, & seueritatem, aduersus omnes idololatrias, sophistas, hypocritas & tyrannos, de præsentis, & in futuro iudicio, vt qui nolunt verbo, factis credant, me esse Deum, quem metuant.

Vobis autem dico, et ceteris in Thyatiris) Apostrophe & cautio est ad Iesabelitas, idololatrias, antichristianos, synceros tamen.

Quicumq; non habent doctrinam hanc) euangelij) & qui non cognouerunt profunditates Sata-næ, ut aiunt) qui ex simplicitate cordis nesciunt discrimen inter dexterum & sinistrum,

vera doctrina & religio sit verior, qui nesciunt mysterium iniquitatis, & astutiam Satanæ, transfigurati in angelum lucis. In plausibilem doctrinam & speciosam, sed falsam, rationem humanarum traditionum.

Non mittam super uos aliud onus) saltem ut caueatis idololatriam, quàm, quod habetis, tenete, donec ueniam) Doctrinam Euangelij seruate, nec admittite aliam, donec ueniam in fine mundi, ad iudicium extremum, redempturus vos ex hoc regno satanæ, ad æternam felicitatem. Onus pariter intelligas difficultatem crucis, & mandatū doctrinæ.

Qui uicerit) Idololatriam antichristianismi.

Et custodierit usq; in finem opera mea) quæ ego præcipio in Euangelio, idq; perseveratè.

Dabo illi potestatem super gentes, & reget eas uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo) Faciam eum strenuum, fortem, & egregium debellatorem gentilissimi, & antichristianissimi: tandem constitutam eum mecum iudicem extremum super omnes impios. Matt. 19.

Ac dabo illi stellam matutinam) post tribulationis noctem, Spiritus sanctus illustrationem post tristem huius mortis noctem, lætam resurrectionem, ut luceat sicut stella in perpetuam æternitatem. Dan. 12. Post extremas tenebras, orietur ei Sol iusticiæ. Mal. 4.

Qui

Qui habet aurem; audiat, quid spiritus dicat ecclesijs) Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt caueamus à simili Iezabele Babylonica & antichristiana, vt nostram corrigamus tarditatem & negligentiam, vt feruamus constantiam.

CAPVT III.

De posterioribus tribus Angelis.

Angelo in Sardibus ecclesie scribe) Sardes, vrbs Lydiæ, regia Græci, vtrumq; Diodorum patria, Melitonis postea episcopatus. Quinta Epistola:

Hæc dicit, qui habet spiritus Dei, & septem stellas) Christus, de quo supra 1.

Scio opera tua, quia nomen habes, quòd uiuas, & mortuus es) Nominatenus euangelicus, ignauus hypocrita, & delicatus martyr es, cuiusmodi semper plurimi. Grauis taxatio negligentia, sine aliqua commendatione; Matt. 24. 25. Luc. 12. Mar. 13.

Esto uigilans) in officio, doctrina & vita.

Et confirma cætera moribunda) vt fidelis pastor. Esa. 40. lãguida in fide & opere. ne per tuam negligentiam relabantur ad gentilismum, antichristianismum, aut epicurismũ.

Non enim inueni opera tua plena coram Deo) Perfunctoriè prædicas, & officium præstas;

ore confiteris Deum, Christum, Euangelium, factis negas, alia facis, alia negligis, aliter doces, aliter viuis.

Memineris ergo, qualiter acceperis & audieris) didiceris sanam, & synceram Euangelij doctrinam ab Apostolis, eam

Serua & resipisce) institue emendationem.

Sin autem non uigilaueris, ueniam super te tanquam fur, ut nescias qua hora ueniam) Occupabo te ab inopinato, ut malum, infidum, securum, negligentemq; seruum. Mat. 24. exuam te officio, aut morte, aut destitutione. Ratio sequitur

Habes pauca nomina in Sardibus, qui non inquinauerunt uestimenta sua, ut ambulent mecum in albis, ut deceat) Negligentiæ demonstratio est, Habes exiguum catalogum piorum hominum, in libro vitæ, inscriptorum, ex tuo episcopatu, qui vitam agant Christo dignam. ut uestis, ita vita ornat hominem. Vestis alba, est decentior, nuptialis, heroica, festiua, triumphalis. Eccl. 9. Matt. 22.

Qui uicerit) qui legitimè & strenuè mecum contra hostem meum Satanam & Antichristum certauerit, eumq; uicerit officij fedulitate.

Sic uestietur uestibus albis) ut victor, & triumphator in perpetua gloria.

Et non delebo nomen eius de libro uitæ) Erit in æternum sanctus, saluus & electus.

Et confitebor nomen eius coram Patre meo, coramq; angelis eius) vt Matthei. 10. Confiteri Christum, est profiteri eius Euangelium, etiam cum periculo vitæ & facultatū, quod qui facit, habebit mutuam confessionem Christi in die nouissimo, cum summo, æternoq; honorem Dei & angelorum, omniumq; piorum. est amplissima impensarum compensatio.

Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesijs) præsentibus & posteris, perpetua successione.

Angelo in Philadelphia ecclesiæ, scribe) Philadelphia hæc Lydiæ, alia est, ab illa quæ est *Ægypti*.

Sexta Epistola.

Hæc dicit sanctus ille & uerus, qui habet clauem Davidis, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit) Christus, absolutè sanctus & uerus, nos eius respectu sancti & veri, extra quem nihil sanctum, nec uerum. Qui nos suo Spiritu sanctificat, à mundo segregat & sibi destinat. Qui quod promittit, ueraciter seruat & præstat. Qui habet clauem David, vt Eliachim in domo & regno Dauid. Iess. 22. qui habet absolutam gubernationem Ecclesiæ: cui tradita est omnis potestas in cœlo & in terra: Qui aperit cœlum, inferos

mortem, sibi & suis, & nemo claudit. E contra, qui impijs claudit cœlum, inferos, mortem, & nemo aperit. Qui aperit sensus, vt intelligamus scripturas. Qui aperit portas regionum, ad liberum ingressum Euangelij, regis gloriæ: Hanc clauem scientiæ, & potestatis: claudendi & aperiendi, ligandi & soluendi, commisit suis ministris. Ioan. 21. Antichristiani ipsa abutuntur,

Scio operatua) bona, sine reprehensione, saltem vt caueat sibi in posterum.

Ecce, dedi coram te, ostium apertum) prædicandi euangelij libertatem, felicitatem, audientium promptitudinem, Ostium, me ipsum tibi aperui. Ioan. 10.

Quod nemo potest claudere) seu prohibere, pro quo orat Paulus Eph. 4. 1. Cor. 16.

Quia exigua habes potentiam) perficiendi quæ voles. Video tuam promptitudinem, ideoq; addo vires, & successum.

Seruasti sermonem meum) constanter prædicas Euangelium, de mea persona, & officio, quod sim Deus & homo: Rex & Sacerdos æternus, Saluator mundi.

Non negasti nomen meum) non mutasti doctrinam euangelij, propter æstum persecutionis, vrgentibus aduersarijs, ne de me prædices, quod sim Messias.

Ecce do de Synagoga Satanae, qui dicunt se Iudeos esse, nec sunt, sed mentiuntur) Vt videas constantiae tuae fructum, & meae praesentiae, auxiliijq; effectum, faciam, vt veritate conuicti & adacti aduersarij, mentito titulo Iudaei, orthodoxi, & catholici, re uera antichristiani, sophistae, serpentarij, sathanae conciliabulum.

Ecce, inquam, faciam, & cogam eos, ut ueniant, adorentq; ad pedes tuos) vt fiant tibi supplices, pro ignoscencia, de illata iniuria, blasphemia, & iaculatis conuicijs de me, agnoscentes me esse verum Messiam, testificatum resurrectione, ascensione, Spiritus sancti missione, & miraculis, ad testimonia scripturae, & prophetarum respondentibus. manente utiq; Serpentis semine, vsq; ad extremum, quantumuis inde aliquot lucrifaciamus.

Vt sciant, quod dilexi te, quod seruaisti sermonem patientiae meae) Vt videant aperta meae erga te dilectionis testimonia, propter fidem tuam constantiam doctrinae Evangelij, quae semper habet crucem comitem, aut quae est doctrina de mea cruce & morte pro totius mundi redemptinne à peccato & morte aeterna.

Ego uicissim seruabo te ab hora tentationis)

persecutionis. *Quæ uentura est super orbem uniuersum, ut tentet habitantes in terra*) non quòd te non apprehendat, sed quòd te non superet & subuertat. Oportet enim nos conformes fieri imagini filij dei, in cruce & gloria. Benigna promissio, pro tutela uniuersæ ecclesiæ, & cuiusq; pij. Persecutio uniuersalis, respicit Euangelium uniuersale, successiue per loca & tempora.

Ecce uenio cito) ab inopinato, pariter ad tentandum & seruandum.

Tene quod habes) Præsta tuum officiũ strenuè. Quantumuis simus seduli, tamen indigemus admonitione.

Ne quis tibi præripiat coronam tuam) Ne te aduersarij transuersum agant, neue torpeas, victus aduersariorum importunitate, crucis magnitudine & prolixitate.

Qui uicerit) aduersarios, sedulitate & constantia, vsq; ad tormenta mortis.

Faciam illum columnam in templo Dei mei) Statuam illum pro constantiæ exemplo, quod imitetur, quo innitatur tota in posterum Ecclesia piorum, cuiusmodi fuerunt & sunt omnes martyres Christi.

Et foras non egredietur amplius) erit in æternum beatus, felix & saluus, sine omni metu excidij in uita futura & æterna.

Et scribam super eum nomen Dei mei) Vocabitur

bitur filius Dei, ex Deo per fidem in Christum natus.

Et nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Ierusalem, quæ descendit de cælo, à Deo meo) erit ciuis Ecclesiæ, nouæ, cælestis, diuinæ, æternæ & gloriosæ Ierusalem, de qua infra cap. 21. 22.

Et nomen meum nouum) Dicitur Christianus, filius Dei, filius gratiæ, qui olim fuit filius iræ, quod excellit omnia nomina, quantumuis in hoc mundo præclara.

Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesijs) Sibi dictum accipiat, ac curet, vt similia bona præconia suæ fidelitatis à Christo accipiat, iuxta illud, Euge serue bone & fidelis, Matt. 24.

Angelo ecclesiæ Laodicensium scribe) Laodicensium meminit Paulus. Coloss. 4, Eius ad ipsos epistola, quam præcipit à Colossensibus legi, cuius quoq; meminit Seneca. excidit. Septima Epistola.

Hæc dicit, Amen, testis fidelis & uerus, principium creaturæ Dei) Christus, ipsa Veritas, uerus, fidelisq; testis de Deo Patre, eiusq; uoluntate & beneuolentia, ipse incarnationis opere testatus diuinorum oraculorum effectum, Principium creaturæ Dei, primus rerum creator, & creatura respectu suæ humanitatis, ad cuius imaginem factus est Adam. Gen. primo.

Scio opera tua) quibus alijs fucum facis, mihi non item. dura increpatio.

Quia neq; frigidus, neq; feruidus es) plane hypocrita, in vtramq; partem flexilis, officium perfunctorie, questus gratia præstas, parasitastes, ait quis, ais: negat quis, negas. omnibus te attemperas, & insinuas, pacis, gratiæ, ventrisq; causa: Non propter ædificationem factus omnia omnibus, vt omnes lucrificas.

Vtinam frigidus aut feruidus esses) vt scirent pij homines quo loco te haberent. frigidus ex professo impius, præter fidei charitatisque calorem. Aut feruidus vt Elias, Ioannes, Stephanus, zeli ardore flagrans. Aut mallet, vt plus, minusue faceres per imprudentiam, quam vt sis hypocrita.

Sed quia tepidus es, neq; frigidus, neq; feruidus) neutralis, expectans vtriusq; causæ, & partis euentum, in quam partem inclinat victoria. Crepas Euangelium, Crucem fugis.

Euomam te ex ore meo) exuam te officio, auferam Verbum meum ex ore tuo. odi simulators, delicatos martyres.

Quia inquis, diues sum, ditatus sum, nullius egeō) Mimesis eorum est, qui cyclopediam absoluerunt, qui suam iactant, si non ore, certè professione, omniscientiam, ingenij præstantiam, ac putant se extra erroris aleam positos. Sed

Sed nescis, quàm miser sis, miserebilis, pauper, cæcus & nudus) Antithesis est per vera & spiritualia prædicata, de eiusmodi iactabundis philautis, quibus nullum est miserius, & odiosius hominum gens, quamuis magnifiant apud vulgus, ratione ministerij, & professionis, salutanturq; magnificis titulis, sed interim Deus aliter de istis laruatibus pronunciat, vt olim de Phariseis. Matt. 23.

Suadeo tibi, ut emas à me aurum igne probatum, ut ditescas) vt ores me pro Verbo Dei, veròq; eius intellectu, postposita humanæ sapientiæ philautia.

Vestimentisq; albis induaris, ne appareat turpitudine nuditatis tuæ) vt instituas uitam ad emendationem, ne dedecores te, tuumq; ministerium tua scelerata vita.

Collyrioq; inungas oculos tuos, ut videas) detrahas tuæ menti, priuatæ, & perniciosæ sapientiæ caliginem, inunctus oleo spiritus, cuius vnctio omnia docet, 1. Ioan. 2. vt videas teipsum, tuos defectus, & vicia, vt cognoscas Dei mentem, & voluntatem.

Ego, quos amo, arguo, & castigo) subiungit increpationis causam, suam amorem de nostra salute. Dum iudcamur, à Domino corripimur, cneum hoc mundo damnemur. 1. Cor. II.

Aemulare ergo ac respisce) Indue verum tui officij zelum: fac tuum officium sedulo & strenue, non negligenter, nec frigide, emenda quæ sunt viciosa.

Eccæ sto ad ostium & pulso) prædicatione pœnitentiæ.

Si quis audierit uocem meam, aperueritq; ianuam, introibo ad illum, ac cœnabo cum illo, & ipse mecum) Erimus amici coniunctissimi & fœderati. Meminit Cœnæ, non Prandij, ratione diei mundi, quæ iam Christi tempore venit ad vesperam. Et ratione suæ cœnæ, quam in sui memoriam instituit, vt sui erga nos amoris, mutuæ societatis & fœderationis vinculum. Ioan. 14. Ad ipsum veniemus.

Qui uicerit) suam ignauiam, & fecerit officium suum sedulo, vt seruus fidelis.

Dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego uici, et confedi cum Patre meo, in throno eius) Est amplissima promissio, iuxta illud, *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Matt. 24.*

Qui habet aurem, au diat, quid spiritus dicat ecclesijs) De fidelibus & infidelibus, sedulis & ignauis sui Euangelij ministris, quouis loco & tempore.

Post

CAPVT IIII.

De throno Maiestatis.

Post hæc uidi) Reuelationum, uisionum-
que transitio est, à superioribus sibi
continuatis, ad sequentia continuè cohæ-
rentia, usq; ad 12. caput, De uniuersali reg-
no Dei, Ecclesia in mundo.

Ecce ostium apertum in cælo) Iuxta apparen-
tiam, Ostium Christus est, ipse aperit cœ-
lestia.

Et uox, quam primum audiui, tanquam tube,
mecum loquentis) suprâ, in prima uisione, cap.
I. Vox Christi seria & sonora.

Dicebat) iteratò ostensurus mysteria.

Ascende huc) mente & attentione.

Et ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc)
Propositio est, de forma & fortuna Eccle-
siæ, post apostolorum tempora, usq; ad fi-
nem mundi, sequentibus octo capitibus.

Et statim sui in spiritu) mente raptus extra
corporalia, in corpore tamen.

Ecce thronus positus erat in cælo) Narratio-
nis, uisionisq; exordium est. Thronus regiæ
maiestatis sedes est, magnificè exornata, ut
Ezech. I. Dan. 7.

Et super thronum sedebat aliquis) Angelus mystagogos, id est, diuinorum actor, habitu referens Deum Patrem, quem nemo alioqui videt.

Et qui sedebat, similis erat aspectu, lapidi Iaspidi, & Sardio) Ab habitu, seu toga imperiali. Viridis, & rubeus, benignus & seuerus, creator & vorator. cuius benignitate omnia virent, germinant, & florent. Contrà, eius seueritate cuncta, vt igni, vorantur. Deus ignis absumens est. vt gestatio sceptri, & gladij corà Imperatore. Quæ Deus creauit, igni vorabit, & reformabit ad æternitatem.

Iris in circuitu throni, similis spectui smaragdino) Arcus imperialis, & triumphalis ornat thronum. Misericordia Dei superat omnia opera Dei, ornat maiestatem Dei, vt verè sit & dicatur thronus gratiæ.

Et circa thronum, uiginti quatuor throni, super thronos uiginti quatuor Senatores sedentes)

Propheta. Consistorium diuinum, ex 12. patriarchis, & 12. Apostolis quasi Assessores regni, Senatores, Patres conscripti, Scripta Prophetarum & Apostolorum, Decreta, seu oracula Dei tenentia, cõseruantia, & promulgantia, secundum quæ gubernatur, & iudicatur totum Imperium Dei, regnum Christi, Ecclesia. Pro authoritate, dignitate, & reuerentia Sacræ Scripturæ, ad quã, vt ad diui-

na decreta nos remittit Christ⁹, vt Cęsar ad Imperialia decreta. *Reiches abscheit*, In Lege quid scriptū est. Scrutamini Scripturas. Sic scriptū, decretū & fatum est, Non potest solui Scriptura. Non facit Dominus quicquā, nisi prius secretum suum reuelauerit Seruis suis Prophetis. Amos. 3. Cum sederit filius hominis in throno maiestatis suę, sedebitis & vos, Matt. 19.

Amicti uestibus albis) heroicis, festiuis, gloriosis, honorificis, puris, immaculatis. Eloquia Domini, casta, pura. Psal. 12. Lex Domini immaculata. Psa. 19. Ecclesię decor & gloria.

Habebant in capitibus suis coronas aureas) regias, imperiales, triumphales. Verbum Dei, veritate vincit. Omnium fortissimum veritas, superat mendacium, peccatum, mortem, & Sathanam, confert æternos honores. Ecclesia cum Christo, habet communium honorem. Lex.

De throno exibant fulgura, tonitrua, uoces & fragores) signa seueritatis, pro reuerentia & obseruatione, iuxta formam datę Legis in Sinai. significant doctrinam Decalogi, ad Euangelij carnem nostrę mortificationem.

Et septem Lampades ardebant coram throno, quę sunt septem Spiritus Dei) Iuxta typicum candelabrum septem lampadū, in tabernaculo. Est doctrina Euangelij de Christo,

per Spiritum sanctum septies in orbe renouata, vt septem primi dies, vsq; ad consummationem, donec oriatur Lux æterni diei, Sol iusticiæ.

Coram throno mare uitreum, instar crystalli)

Alludit ad Labrum æneum, mare fusile, in Tabernaculo, vnde lauabantur sacrificia.

Baptismus

Exo. 30. 3. Reg. 7. Repræsentat Baptisimum, Lauacrum regenerationis, & purificationis nostræ per fidem in Christum Rom. 6. Tit. 2. vt post doctrinam Legis & Euangelij. pœnitentiæ & remissionis, regeneremur noui homines. crystalli instar pellucentes.

Euangelistæ.

Et in medio throni, circumq; cum quatuor Animalia,) Regum throni solent animalibus, quasi basibus fulciri & ornari, ut Salomonis Solium, 12. leunculis. 3. Reg. 10. Ita thronus Dei, est quatuor animalibus fulcitus. iisdem, quæ Ezech. 1. describuntur, iuxta quatuor capita Euangelicæ doctrinæ de Christi Humanitate, Victima, Victoria & Diuinitate: iuxta faciem Hominis, Bouis, Leonis & Aquilæ. Quòd Christus Dei filius incarnatus, pro peccatis Victima factus, Resurrexit & Ascendit. Euangelij α , animalia cicura, placida, differunt ad ω , feras bestias Monarchiarum, Daniel. 7. Infra. 6.

Plena

Plena oculis, antè & retrò) Euangelij Christi doctrina, est plena cognitionis operum Dei, præteritorum, & futurorum: ante & post exhibitum Christum: in veteri, & nouo testamento: huius & æternæ vitæ: sine quibus, nec prophetas, nec apostolos intelligimus. nempe, Christum Hominem, Mortuum, Resurrexisse, & Ascendisse ad cœlos, perpetua de Christo doctrina est. Hinc throno Christus infedit ab initio.

Animal primum, simile Leoni) Significat Christum victorem Mortis. Regiamq; maiestatem. Facies Regis, facies Leonis.

Secundum, Vitulo) Quod Christus factus est pro nobis Victimam Holocausti.

Tertium, Homini) Significat Christi incarnationem humanam.

Quartum, simile Aquilæ uolanti) Significat Christi diuinitatem, qua ad cœlos ascendit. Ea sunt principalia capita de Christo prædicanda, quòd sit Deus, & Homo. Rex & Sacerdos: Aquila, Homo, Leo, & Bos. Ea conueniunt analogiæ scripturæ, & fidei.

Singula quatuor animalia alas senas habebant) Viginti quatuor Senatores non pinguntur alati, sed solidi sedentes, quòd prophetarum Scripta, tantum in populo Iudaico, vt certo loco continebantur. Quatuor Euangelistæ autem pinguntur alati quòd Euange-

lium volaret in mundum vniuersum, Matt. 28. Mar. 16. Psal. 18. Rom. 10. Senæ alæ in singulis quatuor, conficiunt 24. Quòd Euangelij doctrina pernicioso volatu in vniuersum referret, prophetarum oracula de Christo esse impleta, iuxta duos Seraphos. Iess. 6.

Circumquaq; & intus plena erant oculis.) Doctrina Euangelij est plena cognitionis Dei, externè & circumquaq; ex operibus creationis, Incarnationis, & Gubernationis. Internè, in Verbo, de eius erga nos benevolentia. Docet quomodo internè in mente agemus cum Deo per fidem, & externè per charitatem cum proximo. Ab externa operum Dei contemplatione, perducit nos ad internum eius conspectum de Essentia. A corporalibus & temporalibus, ad spiritualia & æterna. Aut Visus Dei habet reflexū externè & internè. contemplatur omnia, & sese.

Incessanter diu, noctuque clamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, est, & uenturus est.) Doctrina Dei vni-formiter, constanter, & perpetuò prædicat Vnum Deum, in Essentia: Trinum, in Personis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. יהוה אלהים Essentia præsentis, ארובי שדי Dominum sustentatorem sibi suf.

bi sufficientem, צבאות דבתי exercituū, omnium creaturarum, קדוש sanctum, ab omni iniquitate segregatum, ideoq; venerandum. παντοκράτορα omnipotentem. Qui erat, ab æterno: Est, de præsentem, & Futurus est, in omni æternitate, simul, & singulatiim. Quæ prædicata, de nullo, quàm de solo vero Deo prædicari possunt.

Et cum darent illa Animalia, gloriam, honorem, & benedictionem, Sendenti super thronum, uiuenti in secula seculorum, procidebant uiginti quatuor illi Senatores ante Sedentem in throno, & adorabant Viuentem in secula seculorum. Ac demittebant coronas suas ante thronum, dicentes. Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, honorem, & potentiam: quia tu creasti omnia, & per uoluntatē tuam crant, & creata sunt) Cohærent sibi. Hoc est, Cum doctrina Euangelij cœpit prædicari in Mundo, de incarnato Filio Dei, Deo & Homine, Rege & Sacerdote æterno, & de opere Salutis nostræ per ipsum effecto: tunc cessauit doctrina Prophetarum, quantum ad uaticinia, Et cum summa reuerentia, gratiarum actione, resignabant officium, quòd sua uaticinia de Christo, iā essent impleta. Angeli Christo, canebant Gloriam in excelsis Deo. Lex & Prophetæ usq; ad

Iohannem prædicauerunt. Matt. II. Et Christus in Cruce clamauit Consummationē. Ideoq; ipsi Soli omnia referūt accepta, gloriam, honorem, & potentiam. Quòd omnia creauit, quæ erant in eius destinata voluntate, quod iam omnia perfecit, & in effectū protulit, quæ per Prophetas prædixerat futura de Christo, & Ecclesia. Iuxta primam Creationem, qua produxit ad esse, quæ ab æterno in eius erant consilio, destinata voluntate, & perpetua Idea, specimenq; præbent æternæ vitæ, in qua, quando iam omnia, adhuc per Generationem procreanda, impleta, & ad perfectionem producta fuerint, tunc inchoabit vita æterna, in qua erit perpetua gratiarum actio, cum summa reuerentia ad Diuinam Maiestatem, cui soli quisq; suam sapientiam, iusticiam, virtutē, & cætera omnia gratiarum dona referet accepta, & deponet. A deo ipse Christus resignabit ac deferet Deo Patri regnum, vt sit Deus omnia in omnibus. I. Cor. 15. Quemadmodum & in posterum, in fine mundi idem ipsi 24. Senatores cum summa reuerentia gratias agent Deo, de omnium vaticiniorum consummatione, de vniuersali Generatione, & maximè de Electorū completa procreatione & regeneratione ad gloriam æternam, Infra. II. Quemadmodum, post primam Creationem secutum est Sabbathum

bathum typicum, ita post Procreationem sequetur archetypicum Sabbathum, æternæ quietis, contemplationis, laudis, & gratiarum actionis Dei.

Tantum de Rege, Monarcha Mundi, & Ecclesiæ: de throno Maiestatis eius, cum omnibus suis membris, & ornamentis. Sequitur eius regni gubernatio, Decreta, Facta, secreta, in libro oraculari descripta, & sigillata. Agno immolato, Cristo, ad referandum tradita.

CAP V T V .

De Libro Oraculari.

ET uidi in dextera Sedentis super thronum, Liber Dei, quæ ipse scripsit, & legit. Librum, scriptum intus, & foris) Iuxta typum, & Legē. Deu. 17. Libri Dei varij sunt. est Liber Vitæ, Legis, Dierum, conscientiarum, & Oracularis. Liber Vitæ continet Electos. Liber Legis continet voluntatem Dei. Liber Dierum, seu Causarum. Conscientiarum, continet singulorum acta quolibet die, vnde quisq; iudicabitur. Liber Oracularis, est rerum gerendarum, factorum, futurorum euentuum, ex præscientia Dei. Dexter quòd habeat felices euentus Ecclesiæ. Scriptus ex præscientia Dei. Intus, &

foris, tam de cogitationibus mentis, quã de dicendis, & faciendis cuiusq; bonis & malis.

Ob signatum sigillis septem) nulli cognitum nisi Deo, qui scripsit: & cui ipse reuelauerit, Christo glorificato. Ipse porrò seruis suis prophetis. Amos. 3. Mat. 11 & 13. vt supra, 1. hïc, & infra cap. 10. clausus & ob signatus à Daniele iubente Angelo. Dan. 12. Hęc est arbor illa scientiæ boni & mali, Adæ vetita, reuerenter habenda, nulli temerè contrectanda ex præiudicio. Gen. 2. 3. Ad quam arborem, & ex quo libro, Deus partialiter reuelat agenda, suis prophetis, quæ porrò reuelent Ecclesiæ, vt Mose, ad rubum ardentem, vt inter Cherubim, in propitiatorio, aut aliàs vbicunq; ei libuerit.

Et uidi Angelum fortem, magna pre conis uoce clamantem) in uniuersum edicentem, & quasi omnes ad præsens arduum, & maximi momenti negocium euocantem.

Quis est dignus) aptus, idoneus, & sufficiens.

Aperire librum) oracularem, omnia in posterum fata, & euentus Ecclesiæ de Christo, & Antichristo continentem.

Et soluere signacula eius) euoluere, & explicare eius arcana, in intimo consilio Dei destinata, quid boni, quid mali futurum sit, vt nobis caueamus.

Et nemo) ex omnibus creaturis.

Neq; in Cœlo) ex angelis.

Neq; in terra) ex hominibus, diuis astro-
nomis.

Neq; sub terra) ex dæmonibus.

Poterat aperire librū, neq; inspicere illum) Est exclusiua, seu negatiua vniuersalis, quantum ad diuina oracula. Naturalia autem colligi possunt ex consequentijs. Ad diuina autem omnes vno ore exclamant. O altitudo diuitiarū sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?

Et ego flebam multum) commiseratus afflictissimam Ecclesiã, flent adhuc omnes pij.

Quòd nemo dignus inuentus est aperire, & legere librum, neq; inspicere illum) De forma, & fortuna miserrimæ Ecclesiæ, de conflictatione regni Christi & Antichristi. Mulieris, & Serpentis.

Vnus de Senioribus) Iessaja, aut quisq; prophetarum, expertus reuelationes à Christo aut doctrina prophetarum.

Dixit mihi, ne fleueris) Est aliquis qui poterit aperire, & reuelare mysteria.

Eccè uicit Leo de tribu Iudæ) de quo Iacob. Gen. 49. Messias.

Stirps Davidis) de quo Iess. ii. super quem

requiescit Spiritus Domini, spiritus sapientia & intellectus, & Solus Christus, iam superata morte, glorificatus, sedens ad Dexteram, & in sinu Patris, dignus est.

Aperire librum, & soluere septem signacula eius) scire sensum Domini, dicere in posterum futuros euentus, commonstrare Serpentis, Draconis, Sathanæ, & Antichristi eius furores, vt caueamus, aut iacula præuisa minus feriant, & ab his felicem nobis exitum.

Et uidi, ecce in medio throni, & quatuor Animalium, & in medio Senatorum) ipsis omnibus honoratior, in æquali cum Deo Patre honore & potentia.

Agnus stans tanquam mactatus) Christus immolatus, & glorificatus, diuerso respectu officij Leo, & Agnus; Rex & Sacerdos.

Habens cornua septem) Cornu, regni symbolum est.

Et oculos septem, qui sunt (septem) spiritus Dei, missi in omnem terram) Oculus illustratio, visus & cognitio Dei est. Vtraq; , significant Regnum, & Sacerdotium Christi, pro gubernatione, & illustratione Ecclesiæ, per Spiritum sanctum in vniuerso Mundo administranda, dum ipse corporaliter abest. Vnum tantum est Regnum, vnusq; Spiritus in Regno, & Sacerdotij Christi, omnium
secu-

seculorum. Septenarius numerus, aut multiarius est, aut septenas iterationes seculorum significat, Adæ. Noah. Abrahamæ, Mose, Christi, Constantini & Lutheri temporibus, postea tradet Regnum Patri.

Venit, & accepit de dextera Sedentis in throno Librum.) Christus iam post sui immolationem & glorificationem secundum suam humanitatem, accepit à Deo Patre reuelationem eorum, quorum, dum erat in carne cepit incrementa, Luc. 2. & confessus est se ne scire, Mat. 24. iuxta huius libri primam propositionem, cuius hic incipit narratio, ita ut iam in Christo habitet plenitudo diuinitatis. Coloss. 1. Cogita quàm alacri vultu Pater Filio tradiderit, & quàm reuerenter Filius à Patre acceperit Librum.

Et cum aperuisset Librum) Postquam Christus post sui glorificationem, agnitus est sedere ad dexteram Dei, in throno maiestatis Dei, habere cum Deo Patre communicatos honores, æqualem potentiam & gloriam, Ipsum habere plenitudinem diuinitatis, & esse thesaurum perfectæ cognitionis Dei.

Quatuor Animalia & uiginti quatuor Senatores) Omnes Prophetæ & Euangelistæ, Apostoli vniuersaq; Ecclesia vetus & noua, doctrina prophetarum & apostolorum de Chri

sti persona, & officio instituta, & iam post glorificationem eius confirmata.

Procidebant coram Agno) Christo, adorantes eum, vt verum Deum. Act. i.

Habentes singuli citharas) concentum doctrinæ ad diuinas, perpetuasque laudes, & gratiarum actiones.

Et phialas aureas, suffimentorum plenas (quæ sunt) *sanctorum supplices preces*) soli Deo congruæ.

Et cantabant canticum nouum) Antea de Iesu Nazareno, dum erat in carnis humilitate, seruilique forma, non cantatum, & prædicatum, vt iam de exhibito filio Dei, glorificato.

Dignus es accipere librum) secundum humanitatem scire diuina oracula. alioqui secundum diuinitatem, æqualis est Patri.

Et aperire signacula eius) reuelare mysteria nulli creaturæ concessa.

Quoniam mactatus es) ratio dignitatis, respectu spontanæ obedientiæ, crucis morte contestatæ, Philip. 2.

Et redemisti nos Deo) per peccatum venundatos Satanæ, & morti æternæ, tuo beneficio vindicatos Deo, & ad vitam æternam restitutos. Ab effectu mortis Christi.

Per sanguinem tuum) redemptionis præcium. includit totum actum Iustificationis,
Redemp-

Redemptionis & salutis nostræ. Excludit omnia merita humana.

Ex omni tribu lingui, populo, et natione) ex quo vis genere hominum, quocunque loco & tempore. Non inquit omnes, sed ex omni: quia non omnium est fides, neq; omnes obediunt Euangelio, quamuis Christus sua morte, & sanguine satisfecit pro totius mundi peccatis.

Fecisti nos Deo nostro reges, & sacerdotes) Ab effectu suæ mortis & nostræ fidei. Ad summos, communicatosq; tecum honores euectos, regios scilicet & sacerdotales.

Et regnabimus super terram) & terrena omnia, carnem, peccatum, mortem, & Satanam. per, & secundum te Sacerdotes, offeremus Deo Patri spirituales hostias, carnis mortificationem, spiritus viuificationem, vera precum suffimenta, æternas agemus, gratias, veram, salutaremque doctrinam profitebimur. Idque super terram, in hac terrestri vita, & in vniuersum, postea vnà cum Christo trademus regnum Deo Patri.

Deinde uidi, & audiui uocem Angelorum multorum) Post Homines sanctos, seu sanctam Ecclesiam, accedit secundus chorus, & ordo laudantium Christum.

54 APOCALYPSIS.

In circuitu throni, & animalium, ac Senatorum, milia milium, dicentia magna uoce) Quasi ministri Dei, Christi, & Ecclesiæ electorū, agnoscentes sua beneficia per Christum collata, reuerenter adorantes Filium Dei incarnatum & passum, quod factio obstinatorum spirituum recusauit, ideoq; mutata in Sathanam & Diabolum, lapsa est in exitium æternum.

Dignus est Agnus, qui mactatus est, accipere potestiam, diuitias, sapientiam, fortitudinē, honorē, gloriam, & benedictionem) Christus incarnatus, & passus, pro sua erga Patrem reuerentia, & pro sua erga nos beneficentia, dignus est communicatis cum Deo Patre prædicatis.

Et omnem Creaturam) reliquam, præter Electorum Ecclesiam, & Angelos. Tertius ordo agnoscentium & prædicantium Filium Dei incarnatum, passum & glorificatum, Iuxta Psal. 149. & 150.

Quæ est in Cælo) Astra, Elementa, & Metæora, Volucres.

Quæ super terram) Herbas. Arbores, & Animalia, Montes, Colles & Valles, Fontes & Flumina.

Et quæ sub terra) Metalla, Gemmas, Venas, Inferos & infernales omnes.

Et in Mari, quæq; in eis sunt) Pisces. Enumeratio

meratio est per distributionem omnium Creaturarum.

Audiui dicentes) vt omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Iesus Christus est in gloria Dei Patris. Dicentes pro suo more, *Sedenti in throno*) Deo Patri.

Et *Agno*) filio Dei Christo incarnato, passo & glorificato.

Benedictio, honor, gloria & potestas in secula seculorum) Pro nostri creatione, generatione, gubernatione, & conseruatione. Pro nostri Redemptione à vanitate, ab impiorum abusu vindicatione, à corruptionis interitu, reparatione, reformatione, & ad æternã libertatem in gloriam filiorum Dei assertione, Rom. 8.

Quatuor Animalia) Doctrina Euangelij de Christi persona & officio, de eius diuinitate & humanitate, De eius Regno & Sacerdotio.

Dicebant Amen) affirmabant hæc esse vera & per Christum fore rata & solida.

Et uiginti quatuor Senatores) Prophetæ *Ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Viuentem in secula seculorum*) cum æterna gratiarum actione, pro Veritate, seu oraculorum effectu & impletione. Typus vitæ æternæ. Totam hanc uenerationem erga Patrem & Filium, in omnibus creaturis efficit Spiritus sanctus,

CAPVT VI.

De Libri sigillati apertione.

ET uidi, cum aperuisset Agnus unum de sigillis) Hic primùm incipit vera Apocalypsis, de regno Christi, & Antichristi, de forma, & fortuna Ecclesiæ, vsque ad finem mundi, clausa, & sigillata, nemini, quàm soli Deo cognita, Christo clarificato ad reuelandũ tradita, scilicet. Regna politica principalia à Deo constituta esse quatuor, per Idolatriam facta Antichristiana, Christi regno plurimum molesta, per quadrimetallarem statuum, & per quatuor Bestias. Dan. 2. & 7. Zachariæ. 1. & hinc Iohanni per quatuor grassatores Equites, depicta.

Audiui unum de quatuor Animalibus) Doctrina de Christo, Deo & Homine: Rege, & Sacerdote æterno, semper sonuit in Monarchijs. testibus historijs, Danielis, Esdræ.

Dicens, tanquam uoce tonitruui) uoce seria, & sonora, soli Deo pro authoritate cõgrua.

Veni, & uide) Iohannes sustinet vicem Ecclesiæ, quæ semper præsens spectat & experita est Monarchiarum molestias, aduersus regnũ Christi, propter disparẽ religionem.

Vidi,

Vidi, ecce Equus albus) Equus est animal ^{Monarchia} bellicum & heroicum. Albus color, est præstantior, vt inter metalla, aurum in statua regia Dan. 2. I.

Qui sedebat super eum, habebat Arcum) Arcus, militare, & bellicum instrumentum est.

Et data est ei corona) Corona, uictoriæ, & regium ornamentum est.

Prodiit uincens, & ut uinceret) Habebat successum & felicitatem belli, vt superatis alijs regnis, monarchiam constitueret. Hæc de prima monarchia Assyriorum, seu Babylo-nica, testantur historiæ sacræ & prophanæ. Hanc Bestiam veraciter vidit Israel in Babilone. Daniel &c.

Et cum aperuisset sigillum secundum) Oracula de secunda Monarchia Persarum. Iess. 45

Audiri secundum Animal) Doctrina cœlestis de Christo, etiam sonuit in secunda Monarchia, regnante Cyro & eius successoribus, sub quibus soluta est captiuitas Israelis ex Babel re, ædificata est Ierusalem & Templum: instaurata est religio. II.

Dicens, ueni & uide) Hanc Bestiam reuera vidit, & expertus est Israel, sub Adiasuero, quando impediabatur Templi ædificatio, per 49. annos.

Prodiit alius equus rufus) ὑψίρος, ignei coloris, superiori inferior. Hunc equum, in-

fessoremq; eius vidit Zacharias cap. I. qui vi-
xit sub Monarchia secunda.

Et infessori eius) Cyrus &c.

Datum est) à Deo. Ut tolleret pacem de terra)
in translatione Monarchiæ ab Afsyrijs ad
Persas & Medos.

*Ut se mutuò interficerent) Cyrus Balthaza-
ram interficit. Dan. 5.*

*Datusq; est ei gladius magnus) amplum Im-
perium, totius Asiæ maioris.*

III.

*Et cum aperuisset sigillum tertium) Oracula
de tertia Monarchia Græcorum, quam A-
lexander Magnus Macedo, transtulit à Per-
sis ad Græcos, quæ oracula olim ostensa
sunt Danieli cap. 8. de Ariete & Hirco.*

Audiui tertium Animal, dicens. Veni & uide)
Animal throni Dei, doctrina cœlestis de
Christo, sonuit etiã sub tertia monarchia,
cuius molestias vidit & experta est Eccle-
sia Israelis Machabæorum temporibus. Da-
niel. 10. 11.

*Vidi, ecce equus niger) superioribus dete-
rior est, ita & Monarchia tertia, cùm in cœ-
teris, tum maximè in Antiocho declaratũ.*

*Qui sedebat super illum) Alexander mag-
nus, cum suis successoribus.*

*Habebat libram in manu sua) ambiguum in-
clinationem regnorum Ægypti & Syriæ,
inter quæ Ecclesia Israelis in Palestina,
mul-*

na, multas oppreffiones, incurfiones & direptiones paffa eft, vt prolixè Daniel. II. & libri Machabæorum testantur.

Et audiui uocem inter quatuor Animalia) Vo-
cem Dei fedentis in throno dicentem,
Chœnix tritici, denario, & tres chœnices hordei,
denario, Vinum autem, & oleum, ne læferis (χ^ο.iv.ξ
minima pars modij, continet demensum
diurni panis, cui addebatur sextarius vini
feruulis, Denarius est δ^ραχ^μα, id est, quintus
grossus. Polonic⁹ triplex, nobis *ein dutgen*,
significat maximam caritatem annonæ fo-
re populo Dei in istorum regum concerta-
tionibus. Attamen Dominus mandando
equiti Monarchæ, promittit Ecclesiæ suffi-
cientem prouidentiam, in politicis & sa-
cris.

Et cum aperuiffet Sigillum quartum) Oracula
de quarta & vltima Monarchia.

III.

Audiui uocem quarti Animalis) Animal thro-
ni Dei, doctrina cœlestis de Christo, Deo,
& homine, Rege & Sacerdote æterno, so-
nuit, & sonat adhuc sub quarta monarchia,
vsq; ad finem mundi.

Dicentem, Veni & uide) certè Ecclesia vidit
& experta est molestias, & grassationes hu-
ius monarchiæ, adeo experitur ad huc.

Vidi, eccè equus pallidus) Equus monarchia
est, animal ferox, quod insidet & regit E-

ques Monarcha. Pallidus color est deterrimus, moribundo congruus, quòd mundus, totaq; rerum natura langueat, & declinet ad interitum.

Et qui sedebat super eum) Monarcha Romanus, cum omnis suis successoribus.

Nomen ei Mors) significat quartæ Monarchiæ immanitatem, & credulitatem, respectu, & collatione superiorum, quòd Regnum & Ecclesiam Christi non tantum captiuet, vt prima, nec diuexet vt secunda, nec diripiat vt tertia, sed penitus extinguat veterem Ecclesiam, Iudaismum, & de hinc nascentem Ecclesiam inter Gentes multis crudelissimis persecutionibus, donec Testes Christi ad extremum, penitus occidat, vt sequetur cap. II. Et, quòd sub hac monarchia moriatur omnis caro, [totus Mundus] extingatur.

Et infernus sequebatur eum) in quem tandè apprehensa ista Bestia præcipitabitur a Christo Iudice, & Rege æterno. vt sequitur cap. 19. Iudicium extremum quid moretur, sequitur oraculum in quinto sigillo.

Data est) à Deo. *Illis*) equitibus grassatoribus, Monarchijs. *Potestas*) Imperiũ. Rom. 13. Dan. 4. *Interficiendi*) grassandi, propter hominum peccata, Idololatrias, & apostasias à regno Christi, causa finalis, quantumuis Ipsimet Idololatræ.

Super

Super quartam partem terræ) in vniuersam terram, secundum quatuor ventos.

Gladio, fame, morte, & à bestijs terræ) Sunt grassationis media instrumenta, corporalia tantum, abusa in ministros, & ciues regni Christi. vt patet ex historijs.

Torua Leena Lupum, sequitur, Lupus ipse Capellam. Dominus constituit tyrannos, propter tyrannos. Dominus constituit quatuor monarchias, ne cogitemus plures, vnde colligere poterim⁹, finis Mundi, & nostræ redemptionis propinquitatē.

Et cum aperuisset Sigillum quintum) Mysteria Dei, de piē mortuorū, ab Habel vsq; caūsa Christi interfectorū, conditione humane rationi planē incognita, & inscrutabilia.

Vidi sub Altari) Christo, qui pariter est Sacerdos, Altare, & Hostia, in quo & nos Sacerdotes offerimus nostras hostias, holocausta, mortificatæ carnis sacrificia, rationalem cultum, precum nostrarū suffimenta.

Sub Altari, vt iam cinis, iuxta typum veterem, Altare hīc, sinus Abrahæ Luc. 16. Paradisus Matt. 27. Manus Dei, Sap. 4. Puluis terræ. Gen. 3. Dan. 12. Monumenta Lucæ. 5. prædicantur piē mortuorum receptacula, ratione causæ, cubilia, seu dormitoria, in quibus requiescunt ab huius & futuræ vitæ proprietatib⁹, & actionibus, vsq; ad vniuersalem resuscitationē, iuxta typū Christi.

Animas) viuas ergò, non mortuas, sed dormientes & quiescentes in suo indiuiduo equè vt anima Christi in suo indiuiduo, in sepulchro. Pars pro toto indiuiduo. Pij viuūt in Domino Christo. Deus, est Deus viuorum, non mortuorum. Matt. 22. Vita ipsorū abscondita est in Deo. Coloss. 3.

Intersectorum propter Verbum Dei, & testimonium suum, quod habebant) Et differentia mortuorum piorum, ab impijs, quorum conditio est contraria.

Et clamabant) Exuti huius, nondum induti futuræ vitæ proprietatibus, nihil agunt, saltem clamant cum sanguine Habel, sui veritatisq; & gloriæ Dei, vindictâ, iudicij maturationem, & promissionum assertionem, idq;.

Voce magna) magno desiderio, & affectu.

Dicentes) Deo, suo vindici, ab Habel vsq;.

Vsq; quo Domine) Pathos à protractione. Idem quæruntur omnes pij cum Dauide Psalm. 13.

Sancte, & uere) qui per te odis iniquitatem, & seruas promissa. Quare non tecum simul resuscitas, & ad æternam felicitatem afferis?

Non iudicas) punis impunè grassantes, & blasphemantes sanctissimum tuū nomen, uerbum, Euangelium, Sacramenta, &c?

Ac

Ac iudicas sanguinem nostrum) propter te miserrimè, inclementerq; profusum, in tot, tanq; diuersis persecutionibus.

De his, qui habitant in terra?) Impijs tyrannis, qui tenent dominia terrarū, ac putant, se hæreditarios mundi possessores esse?

Et datae sunt singulis stolæ albæ) Vestes talaræ, hæroicæ, festiuæ, triumphales, & gloriosæ. prædicantur sancti, & salui, quòd sint diuino testimonio victores mundi, carnis, peccati & satanæ: destinati ad æterna gaudia, triumphos, & felicitates, quas nondum possessiuè vsurpant.

Dictumq; est illis, ut requiescerent ad tempus exiguum, donec compleantur conserui, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & ipsi) Ducuntur causæ protracti iudicij extremi, gloriæ Iustorum, & pœnæ Impiorum. Numerus Electorum, in libro vitæ inscriptorum, soli Deo cognitus, & supputatus, de quo cap. 7. Mensura, & maturitas iniquitatis Antichristi ad iustas æternasq; pœnas. Decisuum tempus dicitur postea cap. II. Nō tam ergo nos, quàm Deus ipse patitur, & perferat Satanæ, Impiorumq; blasphemias, tumultus, & grassationes, propter iam dictas causas.

Et uidi cum aperuisset Sigillum sextum) Oracula de Die, iudicioque extremo, de fine

VI.

mundi huius, continuat hoc Sigillum cū quarto, quintum, fuit parenthesis.

Eccè, Ab inopinato terræ motus magnus factus est) Narratio est, de fine mundi, de quo Christus similia recenset. Matt. 24. Luc. 21. Pet. 2. ca. 3. Paul. 1. The. 4. Ies. 13. 34. Ioel. 2. 3. Soph. 1. typus in cruce Christi. Distemperamentū Elementorum.

Sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus) ex totius sui luminis priuatione, vt in cruce Christi, non ex sui luminis obscuratione, vt in eclipsibus. Ad instar fractorū oculorū moribūdi hominis, certissimū signū sequentis mortis, Distemperamentū Astrorū.

Luna tota facta est ut sanguis) respectu Solis à quo splendorem suum mutuatur.

Stelle, de caelo ceciderunt super terram, sicut ficus deiicit grossos suos, cum à uento magno concutitur) secundum apparentiam, ex consequentia obtenebrati Solis, alioqui Sol & Luna quoque caderent. Alij intelligunt de Meteoris, ad terrorem impiorum.

Christus Matt. 24. inquit, hæc signa fore statim post tribulationem dierum Antichristi, quando, post 1260. dies oraculares occidet Testes Christi, sæuictq; extremum, semi quadriduò ante finem, Infra. II. Iuxta formam primæ hebdomadæ, in cuius medio, vt primum creatus illuxit Sol, Ita in vltimæ hebdomadæ medio obtenebrabitur, manē

te reuolutione diurnæ lucis, vsq; ad vltimū
 quatrīdium, quando Lux diurna, vt ex te-
 nebris producta, desinet in extremas, æter-
 nasq; tenebras: pijs autem post vltimæ no-
 ctis reuolutionem, in cuius medio erit Re-
 surrectio vniuersalis, sonante tuba nouissi-
 ma. Mat. 25. 1. The. 4. 1. Cor. 10. orietur Sol Iu-
 sticiæ, Lux & Dies æterni mundi, sine vlla
 tenebrarum reuolutione: cessantibusq; die-
 bus terrę, erit tunc Dies cœli, Dies Domini
 æternus. Gen. 1. 8. 4. Esd. 7.

Cœlum recessit, sicut liber conuolutus) Isa. 34. 1.
 idē vaticinantē typo excidij Babel, Petrus.
 2. ca. 3. rationē addit, ex cōflagratione mūdi

Omnis Mons, & Insula de locis suis motæ sunt)
 perit schema mundi huius. 1. Cor. 7. Vt mon-
 tes, & Insulæ die secundo ex aquis emerse-
 runt & extuberauerunt, ita vicissim subsi-
 dent in centrum aquarum, totaq; vis aqua-
 rum, erit Stagnū illud sulphureū, perpetuo
 igne ardens, in quod deijcientur, & demer-
 gentur omnes impij. Infra: cap. 19. 20.

*Reges terræ, Principes, Diuites, Tribuni, & for-
 tes: Omnis seruus, & liber*) Omnes tribus ter-
 ræ, Omne genus serpentinum totaq; col-
 luies Impiorum, cuiuscumq; conditionis,
 Christo, eiusq; Ecclesiæ aduersi.

*Abfconderunt se in speluncis, & rupibus
 montium*) subito mutata sua securitate,

pace & gaudio, de occisis Testibus Christi, exhorrescent ad primum deformati mundi conspectum, inde quid futurum sit colligentes, extremo dolore plangent, nescientes vbi se abscondant. Luc. 21.

Dicunt montibus & petris: cadite super nos) Quorum casum quisq; in hac vita cauet, fugit & exhorrescit, iam autem omnibus votis vt summum beneficium exoptant, subiuncta ratione.

Et abscondite nos à facie Sedentis in throno, et ab ira Agni) Christi, Iudicis seuerissimi, crudeliter ab ipsis iudicati, & præter suam culpam occisi.

Quoniam ueniet Dies magna, iræ eius) Impiorum respectum, Dies gloriæ æternæ Pi-orum respectu, Dies magna, ratione causæ, toto tempore mundi agitatæ, in qua decideret causa, dirimentur lites, & inimicitia à Deo positæ intra Mulierem, & Serpentem, & inter vtrorumq; Semen: quando Semen Mulieris, Christus filius Dei incarnatus, seuerissimo Iudicio, æternisq; pœnis conteret superbum caput Serpentis, Satanæ, totiusq; sui Seminis, impiorum.

Et quis poterit subsistere?) Nemo nec Spirituum, nec Hominum, quantumuis nunc sequantur.

Tantum de forma Diei extremi, nihil de
eius

eius momento. Eius protractionis causa iudicatur capite proximo. Forma Ecclesię extremę iuxta hanc formam Solis, Lunę, & Stellarum, nota est ex alijs. maximè ex sequentibus septem Tubis. cap. 8. 9. 10. & 11.

C P P V T VII.

*De consignatione & numero
Electorum.*

Post hæc, uidi quatuor Angelos, stantes super quatuor angulos terrę) Sequitur principalis causa protracti iudicij, contra eos, qui asserebant Diem Domini iam tũm instare. 2 Thess. 2. Quatuor Angeli, dissipatores Orbis sunt. Messores. Matt. 13.

Tenentes quatuor uentos terrę, ne flaret uentus super terram, mare, ullamue arborem) Prohibere flatum, est extinguere vitam, Flatum in vtramq; partem intelligas, bonam & malam: literaliter & spiritualiter.

Et uidi alterum Angelum, ascendentem ab ortu Solis) Christum per Ministros Euangelij, post resuscitatum Christum.

Habentem Sigillum Dei uiui) Euangelium, Sacramenta, & Spiritum sanctum.

Hic clamauit uoce magna) serua, & sonora

per Euangelium vniuersum.

Quatuor Angelis, quibus datum est, nocere terræ, & mari) dissipatoribus Orbis.

Dicens, Nolite nocere terræ, mari, aut ullis arboribus) Ne exterminetis Impios, terrena sapientes, tumultuarium vulgus, & præ eminentiores, ne percutiatis terrâ anathemate.

Donec consignemus Seruos Dei nostri, in frontibus suis) iuxta typū Ægyptiū. Exo. 12. Sanguine agni per Verbū & Sacramēta, in fide & Spiritu sancto, ad publicam professionē. Seruos, Dei cultores, succedanea generatione, & regeneratione, vsq; ad extremum.

Et audiui numerum signatorum) post exortum Solem, post resuscitatum Christum, post abiectum, & abrogatum Iudaismum, ex Israele, donec totus Israel electorum saluetur, de quibus prolixè Paulus Roma. 9. 10. 11. Iuxta librum Rabbi Samuelis.

Centum quadraginta quatuor milia signati, ex omni tribu filiorum Israel) Tantum abfit, vt totus Israel abiectus sit.

Ex tribu Iuda. Ruben, Gad, Affer, Nephtali, Manasse, Simeon, Leui, Isachar, Zebulon, Ioseph, & Benjamin, ex singulis duodecim milia signati.) Electorum singulos ex Israele apud Deum in numero haberi, signat, & confirmat immensam Dei misericordiam erga exules, & calamitosos Iudæos, etiam post Iudaismi abie-

abiectionem, & abrogationem. ne cogitent fortuitum esse fauorem Dei erga ipsos. Idem cogitemus de similibus.

Post hæc uidi) Transitio ad Gentes.

Ecce turba multa, quam dinumerare nemo hominū, & angelorum, solus Deus poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & linguis) Plenitudo Gentium, quibus ingressis, totus Israel simul saluabitur. Rom. II. Filij desolatæ, plures, quàm maritatæ. Iess. 54.

Stantes ante thronum, & in conspectu Agni) fruentes æterno, & læto conspectu Dei, & Christi, quæ est vita, & felicitas æterna, Iohan. 17.

Amicti stolis albis) in omni diuino decore fulgidi, ab omnibus vitijs tersi, victores, triumphantes, æternas nuptias, diesq; festos agentes.

Palmae in manibus eorum) gratulâtes Christo Regi, & sibi, ab omnibus superatis hostibus victoriam, perpetuamq; pacem.

Clamabāt uoce magna) ex corde, plenoq; ore.

Dicentes, Salus, sedenti in throno Dei nostri, et Agno) Salus nostra referatur accepta Deo Patri, qui misit Filium, & Filio Christo, pro nobis immolato, includit omnem beneficiorum Dei enumerationem.

Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, senatorumq; & quatuor Animalium) ut ministri Dei, & Ecclesiæ.

Procubuerūt in conspectu throni in facies suas)
propter admirationem, & venerationem.

Adorauerunt Deum) æterna reuerentia dignissimum.

Dicentes, Amen. verè & propriè.

Benedictio, gloria, sapientia, gratiarum actio, honor, potentia, fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen) Ipsi soli, et absolutè congrua, quæ generaliter in vniuersum, singulariter in filiorum, electorum suorum reuelatione & gloria declarauit.

Et respondens unus, ex Senatoribus, dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & unde uenerunt?) Quæstio, à causa Electorum, & quibus medijs, ad tantam fœlicitatem ueniant.

Dixi illi, Domine, tu nosti) Verbū Dei hoc docet, Deus nouit, non humana ratio.

Et dixit mihi: Hi sunt, qui uenerunt ex tribulatione magna, ac dilatauerunt stolas suas, dealbaueruntq; eas in sanguine Agni) Duo prædicat de Electis, constantiam Fidei in meritum mortis Christi, & sufferentiam crucis, seu afflictionis propter eius confessionem. Corde creditur ad iusticiam, ore confessio fit ad salutē, Et per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum cœlorum. Quanto quis constantius credit, & fortius patitur, tantò fit honoratior, & felicior.

Ideo sunt ante thronum Dei) Enumeratio felicitatis. Ab effectu fidei, & crucis, fruuntur æterno conspectu Dei.

Et seruiunt ei die ac nocte) colunt Deū perpetua veneratione.

In Templo eius) in Ecclesia, religione, & sab batho æterno.

Et qui sedet in throno) Deus ipse, sua gloriosissima maiestate.

Habitabit super eos) *ἐπιθυσίωσι*, contubernabitur, tentorium, seu scenā tendet super eos, habebunt cum Deo perpetuam conuersationem, cohabitationem, contubernium.

Non esurient, neq; sitient amplius) non habebunt rerum præsentium fastidium; nec tenebuntur alterius melioris rei desiderio.

Nec cadet super illos Sol) nulla afficientur afflictione, tribulatione, aut tentatione.

Neq; ullus æstus) malorum affectuum, aut angustiarum.

Quoniam Agnus) Christus.

Qui est in medio throni) in sinu Patris, in communi cum Deo Patre gloria, & felicitate, qui eos redemit, & ad æternam beatitudinem, diuinosq; honores euexit.

Pascet, regetq; eos) nihil ergo deerit. Psa. 23.

Ac deducet eos ad uiuos fontes aquarum) diuinitatis participationem, ad omnes verę, cœlestis, & diuinę felicitatis delicias.

Abstergetq; Deus omnem lachrymam ab oculis eorum) auferet omnium molestiarum causas, fruuntur æterna de huius vitę molestijs consolatione, nullo in posterum afficientur angore. Est amplissima, & copiosissima æternę felicitatis descriptio, cum eius partium enumeratione.

C A P V T V I I I .

De Septem Tubis.

VII.

C*Um aperuisset Sigillum septimum*) Oracula Dei, de Vita æterna, post filiorum Dei consignationem, expletumq; eorum numerũ. Aut de succedaneis negocijs Noui Testamenti, vsq; ad finem mundi.

Factum est silentium in cœlo, ad semihoram ferẽ) De vita æterna, altum iam est silentium reuelandi, & percipiendi, propter carnis nostrę imbecillitatem, vt, quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quę Dominus præparauit diligentibus eum.

Aut illud silentium, est transitio. & distinctio à superioribus, ad sequentia à Sigillis Patris ad Tubas Euangelij Christi. cum attentione.

Et

Et uidi septem, Angelos, stantes in conspectu Dei) Ministros Euangelij, diuino conspectu illustres, alacres, promptos, tutos, & efficaces : Hic propriè incipit Narratio primæ Propositionis.

Data sunt illis septem Tubæ) Tuba publici cœtus, belli, & pacis: remissionis, & libertatis: conuocationis, & dimissionis : Iubilei, & luctus, vetus symbolum, & instrumentum fuit, idem vsus Euangelij est. Septenarius numerus significat septenarias eius iterationes, & effectus in Ecclesia. iuxta septenariam iterationem primi Verbi in Creatione. Gen. I. Non simul, sed successiue, nec prius (quàm mystagogus angelus sacrificauerit, id est, Christus passus fuerit) in flādē.

Et alius Angelus) Christus, angelus, ratione, officij, noui testamenti, & magni consilij Dei, de totius mundi redemptione. Pontifex.

Venit) incarnatus est.

Ad Aram constitit) summus, æternusq; Sacerdos, & Pontifex, per suum ipsius sanguinem, sancta ingressus, cœlum conscendit.

Habens thuribulum aureum) iuxta typum veteris Pontificatus, cuius in Christo cernitur veritas, de perpetuo sui pontificatus officio apud Patrem in cœlis, ne cogitemus eum esse otiosum nostriq; inimicem.

Dataq; sunt ei suffimenta multa) dantur adhuc, & semper ab omnibus pijs.

Vt daret de precationibus sanctorum, super altare aureum, quod est ante thronum) vt offerret piorum preces Deo Patri, interpellaretq; pro suis, fidei, necessitatisq; ardore orantibus.

Et ascendit fumus suffimentorum, de precibus sanctorum ex manu Angeli coram Deo) Piorum preces in fide Iesu Christi, gratæ sunt coram Deo. Quæ qui meditatur ardentius, & frequentius orabit.

Postea, sumpsit Angelus thuribulum, implevitque illud igne altaris, ac misit in terram) Est effectus sacrificij summi Sacerdotis Christi, missio Spiritus sancti gratiæ, & precationis, a Patre, in Apostolos, reliquosq; discipulos, ignis specie. Act. 2. quem venit Christus mittere in terram. Luc. 12.

Et factæ sunt voces) Locuti sunt varijs linguis Apostoli, & discipuli.

Tonitrua & fulgura) iuxta formam datæ Legis in Sinai. Exod. 20. Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniusticiam hominum, maximè, filij Dei, intersectorum.

Et terræ motus) effectus tonitruui, hominum compunctio. Acto. 2.

Et septem Angeli, qui habebant septem tubas,
para-

parabant se, ut tuba canerent) Post immolatum, glorificatumq; Christum, & missum Spiritum sanctum, Euangelica tuba insonuit.

Primus Angelus tuba cecinit) primus Apostolatus Euangelij ad Gentes, vsq; ad Constantinum.

Et facta est grando & ignis, mista sanguine) ingens tempestas, reuelata est ira Dei, de cælo super omnem impietatem gentilismi. Rom. i. prædicatio pœnitentiæ, cum persecutione.

Missa sunt in terram) in homines terrestres.

Ac tertia pars arborum exusta est, omneq; gramen uiride, exustum est) Effectus Euangelij in vtramq; partem intelligatur, per se, & per accidens, spiritualiter, & literaliter. Prædicatio Euangelij exurit quicquid est carnale, eminens & humile. Persecutio rapit præstantiores, & gregarios pios. Non pœnitus, sed ad tertiam vsq; partem: vtrinq; manent pij & impij, Hæc tempestas, bellum, & persecutio, durauit, non tantum ad decennium, vt Troiæ, sed ad trecentennium, vsq; ad Constantinum, per 12. persecutiones, in toto Imperio, & Orbi vniuerso.

Secundus Angelus tuba cecinit) Renouatio Euangelij per vniuersum, tempore Constantini.

Et quasi Mons magnus, igne ardens, proiectus est in mare) Imperium quartæ Monarchiæ, vastatum est per Gotthos, & igne iræ Dei exustum, propter crudelissimas persecutiones aduersus Ecclesiam.

Facta q̄; est tertia pars maris, sanguis) Iure talionis, Imperio, ferro, flamma, cæde & sanguine vastato.

Ac mortua est tertia pars creaturarum, in mari, quæ habebant animas) Prouinciæ imperiales, Ciuitates, Politicæ.

Tertia q̄; pars Nauium interiit) Plurimæ quæ Ecclesiæ in istis barbaris motibus & turbulentijs subuersæ sunt.

III.

Tertius Angelus tuba cecinit) tertia renouatio Euangelij, doctrinæ fidei de Christo, habuit alios euentus, & contingentias, postquam Euangelium superauit, & Gentilissimum abrogauit, cessaueruntq̄; barbaricæ persecuciones. Constantino, totoq; imperio ad Christum conuerso, Ecclesia pacem consecuta est. Sathan aliud, perniciosius intendit stratagema, instigauit Episcopos ambitione maioritatis in Ecclesia, ad quam armauit eos sophistica, & mutuis calumnijs, telisq̄; in seipsos conuersis, quasi intestino bello extingueret Ecclesiam.

Cecidit è Cælo Stella magna) ad instar lapsi Sathanq̄ de cælo, Antichristus, ex Patribus & Epi.

& Episcopis Ecclesiæ, ambiuit Imperium.

Ardens tanquam facula) æstu ambitionis.

Cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum) primùm occupauit tertiam partem Imperij, seu prouinciarum, seu, vt Daniel inquit cap. 7. Cornu paruum, inter decem cornua Bestiæ quartæ exortum, tria cornua euulsit.

Momen Stellæ est Absinthium) à qualitate, amaritudine, & perniciositate mentis.

Et uersa est tertia pars in absinthium) Ab effectu, Tunc venenum missum est in Ecclesiam, & Politiam. Episcopi, & Principes indignè tulerunt, & ad perniciem suam experti sunt Antichristi ambitum Imperium.

Ac multi homines mortui sunt ex aquis, quòd amaricatæ fuerant) Multi offensi ambitione Antichristi, deficiebant ab Ecclesia, vt orientales Episcopi, & Principes, ideoq; multi ex sedibus suis pulsi sunt.

Quartus Angelus tuba cecinit) post constitutum Imperium Episcopale, actum est in Synodis de doctrina Ecclesiæ.

III.

Et percussa est tertia pars Solis) Sol, Christus, Doctrina Euāgelij, articulo Iustificationis, tertia sui parte obscurior factus est, detortis sententijs, quæ ad solū Christū spectāt, ad summū Episcopū, vt sup hanc petrædificabo ecclesiā meā, Pasce oues meas, Quicquid

ligaueris, aut solueris, ligatum & solutum erit.

Tertia pars Lunæ) Ecclesia, tertia sui parte obscurior, & languidior facta est, collatione prioris splendoris, tempore Apostolorum, & Martyrum.

Et tertia pars stellarum) Doctores Ecclesie, Episcopi: non tam syncerè docuerunt, & scripserunt, ad candorem prophetarum, Apostolorum, & Martyrum. multi sunt errores admitti, facti sunt delicati martyres.

Vt tertia sui parte obscurarentur) admittis humanis traditionibus.

Nec dies tertia sui parte luceret) nec Vita piorum tam sincera fuit, vt debuit, collatione martyrum.

Neq; Nox similiter) Tempus angustiae, & tentationis, non habuit suas veras consolationes in solius Christi fiducia, eam obscurauit fiducia meritorum, &c.

Deinde uidi & audiui unum Angelum uolantem per medium caeli) ferentem infaustum vaticinium, generalem querelam, per totam Ecclesiam, de rebus in posterum futuris.

Magna uoce dicentem, Væ, Væ, Væ) in terra habitantibus. Ex cæteris tubæ sonis triû Angelorû, qui iâ clangēt, miserrim erit facies, forma, & fortuna Ecclesie in posterum longè calamitosior, quàm antè, sub quator prioribus

oribus tubis, In 12. persecutionibus. In Gothorum tumultibus, In Episcoporum ambitionibus, & in Ecclesiæ obscuracione partiali. Illa fuerunt corporis, hæc erunt animæ pericula, Quando aperto tartareo puteo, totus Sol obscurabitur. Quando Antichristus orientalis & occidentalis in vniuersum regnabit, & quando Bestia ad extremum occidet Testes Christi.

CAPVT IX.

De reliquis tribus Tubis, & primo Va.

Quintus Angelus tuba cecinit) conuocatum Synodos Episcoporum, pro instauratione doctrinæ fidei, de Persona Christi, & de ipara Virgine, eius matre, Bonâ causam secutus est malus effectus, non per se, sed per accidens, & occasionem, in perniciem officij, & meriti Christi, quæ est proprietas Antichristi occidentalis.

V.

Vidi stellam, de coelo lapsam in terram) Antichristum occidentalem, de quo supra. 8. Va. I.

Cui data est) à Deo irato. 2. The. 2. Rom. 1.

Clavis putei abyssi) Sophistica, Vis, efficacia, operatio, & energia erroris, & illusio-

nis, vt credant medacio, & iudicentur qui non crediderunt Veritati. 2. Theff. 2.

Ac aperuit puteum abyssi) Mouit camerinam, sentinam, & colluuiem tartaream, doctrinarum dæmoniorum, seu humanarū traditionum, contra Officium, & Meritum D.N. Iesu Christi, vt necessaria adminicula ad salutem.

Ascenditq; fumus putei) Merita humana, Af-
sæetida, stercus Diaboli, Phil. 2. fœtor exi-
tialis, perniciosus, & pestilentialis.

Quasi fumus fornacis magnæ) vndiq; se dif-
fundens, totumq; aerē replens, Ecclesiam.

I.

Et obscuratus est Sol) primus effectus tarta-
rei putei, Christus, Sol iusticiæ, non de cœ-
lo detractus, non negatus de Persona, seu es-
sentia diuinæ & humanæ naturæ, sed obscu-
ratus, de Officio & Merito, quasi penitus
ademptus ex vsu hominum ad salutem.

II.

Et Aer) sine quo homo viuere non po-
test, significat veram doctrinam fidei, inter-
pretationem, mentem, spiritum, intelle-
ctumq; scripturæ, obscuratum esse.

A fumo putei) per doctrinas dæmoniorū,
de humanis meritis, quasi ad salutem ne-
cessarijs.

III.

Ex fumo prodierunt locustæ in terram) Locu-
sta insectorum bestiola est, stridens, saltans,
volans, segetes depascens, irati Dei pla-
ga. Ita

ga. Ita ex pernicioso Antichristi dogmate, prodierunt falsi doctores, Sophistæ, Antichristi soboles, & familia, qui immenso agmine instar cancri serpebant, instar locustarum saltabant, tandem in vniuersum volabant, stridebant, omnium aures personabant, nullum locum scripturæ intactum infœdatum que relinquebant.

Ac data est illis potestas) à Deo irato, succellus, facultas, energia, efficacia, operatio, & effectus erroris, & illusionis. 2. Thess. 2.

Qualem habent scorpionum terrestres) lethaliter pungendi, venenatosque morsus, & aculeos figendi in conscientijs hominum. horribilis significatio, irati Dei.

Attamen præceptum est illis) à Deo, cuius hæc est plaga, ex permissione, propter peccatum.

Ne læderent gramen terre, neque omne uiride, neque quamuis arborem) Prouidentia Dei erga Electos, qui fide, & charitate, variisque gratiarum donis virent, florent, & fructificant, qui non flectunt ganua Baal.

Nisi tantum homines, qui non habent signum Dei, in frontibus suis) Discrimen plagæ ad certa subiecta, Impios scilicet, qui non habent signaculum Dei in frontibus, de quibus supra in 7. cap. qui non corde credunt ad iusticiam, & ore confitentur ad salutem, Ro. 10.

Datumq; est illis præceptum, ne occiderent eos) ne penitus perderent suo pernicioso dogmate infectos, dum prædicant Christum de persona, obscurant de Officio, vt sit spes medelæ, & gratiæ in tempore gratiæ.

Sed ut cruciarent ad Menses quinq;) Hic cruciatus, est sæuum illud ulcus conscientiæ, de negato, aut extenuato summo Merito & beneficio Christi, solo ad salutem salutarî, de quo infra cap. 16. Idq; certo, fixo, finitoq; tempore, Mensium quinq; tantum, iuxta tempus Locustarum, quæ in Aprili pululant, in Septembri desinunt, quo mense finis anni ciuilis, mundi q; est. Alioqui quinque Menses oraculares, qui 150. annos ciuiles faciunt, ad totum tempus Antichristi non sufficiunt. Aut significant huius vitæ tempus.

In diebus illis, quærent homines mortem, sed non inuenient eam, ac desiderabunt mori, at fugiet mors ab eis) Est effectus Antichristianismi, de violato Christianismo, in foro conscientiæ, propter cuius violationem optant penitus extingui, quàm superesse ad Iudiciũ. Attamen mori, aut pœnitus de vita æterna desperare non possunt, dum viuunt in tempore gratiæ, ac recordantur sui Baptismi, absolutæq; misericordiæ Dei, per salutaria dicta, exempla Petri, aliorumq; piorum, insigniter

signiter lapforum ad extremum tamen seruatorum contestatæ. Cuiusmodi hominũ exempla nos hoc tempore restituti Evangelij experti sumus, Deo gratia, plurima.

Similitudines autem Locustarum) Pro descriptione, Antichristianisimi, sequitur viua pictura locustarum, planè monstrosa, odiosa, & præter diuinam creationem, serpentaria, & draconitica potius, & pœnitus ad Sophistarum ingenium, & proprietatem.

Similes erant Equis in prelium paratis (Sophistæ sunt suæ sententiæ tenaces, ad morem bellicosi equi, pugnaces, frendentes, calcitrantes, & mordentes.

Super capita earum, ut Coronæ auro similes) depugnant, & peruincunt testimonio Sacræ Scripturæ, sinistrè citato, ad suam sententiam de regno & Sacerdotio.

Facies earum, ut facies hominum) sunt bonæ, speciosæ, plausibiles, & probabiles rationes, humanæ rationi consentaneæ, de tota Antichristianisimi constitutione, & superstitione, sunt hypocritæ.

Capillos habebant, ut mulierum capillos) tota constitutio, forma, & facies antichristiana, est planè meretricia, mera idololatria.

Dentes earum, instar Leonum erant) Sophistica, cum tyrannide, & leonnina ferocitate coniuncta est, brachio seculari, ferro, flam-

6. misq; armata, aduersus suos oblocutores, castigatores, aut transgressores, absque ulla clementia.

7. *Habebantq; loricas, ut ferreas*) Defensiones, in vtranq; partem flexiles, & fortes, sed per forabiles.

8. *Sonitus alarum suarum, ut sonitus curruum, multis equis currentium, ad bellum*) Bellica pernicitate Sophistæ ruunt, & pergunt in proposito, nullo remorante, aut melius monente, ad verum sensum Scripturæ.

9. *Caudas habebant, ut Scorpiones, aculeatas*) Extremus effectus Sophisticæ, est mala conscientia, mœror, & cruciatus animi, de transgressione, & ira Dei.

10. *Potestas ledendi homines, ad Menses quinque*) quàm diu locustæ viuunt, ab Aprili vsq; ad Septembrem, Donec Sophistæ intereant, & rapiantur iudicio extremo.

Habent super se Regem, Angelum abyssi) qualis Rex, talis exercitus, Legatus Sathanæ. Sophistæ aguntur spiritu tartareo, infernali & diabolico, non sancto, cœlesti & diuino. cuius spiritu aguntur, eius sunt filij, & hæredes Diaboli, non Dei.

Cui nomen, Ebraicè, Abbadon, grecè, Apollyon) perditior, dissipator. Christ? nominat Pseudochristum, Ioannes Antichristum, Paulus scelerosum, Hominem peccati, Filium perditio-

ditionis, ratione causæ, & officij Christi, quòd peccet, & peccare faciat, quòd perditus sit, & perdat, quicquid Christus saluare venit. Omnia eius dicta, & facta calumniatur, dissipat, subuertit, & deprauat sophistica, & calumnijs, omnia tamen in hypocrisis, quasi bene velit personæ, & causæ Christi. Historia planè respondet ad oraculum, Euentus ad vaticinium, Veritas ad prophe- iam, si conferatur.

Væ unum) Antichristianismus occidentalis, dissipatio regni Christi, Ecclesiæ. Væ. I.

Abijt) ratione descriptionis, & distinctionis à sequētibus, non finis, aut interitus, de quo postea in cap. 19. Epilogus primi Væ.

Ecce, ueniunt adhuc duo Væ post hæc) Transitio est ad sequētia mala ex superiore causata.

Sextus Angelus tuba cecinit) Ministerium Euangelij, doctrinam Euangelij ab hæreticis deprauatam, conuocatis Synodis, ad puritatem instaurauit. Vbi Sathan, Antichristus, inter filios Dei mistus, ab integro camerinam infernalem mouit de Sacrificio Sacramenti, vnde causata est ira Dei. *Væ secundum, per Turcatum.* VI.

Et audiui uocem quandam, ex quatuor cornibus Altaris aurei, quod est coram Deo) Christus pariter Altare, Hostia, & Sacerdos æternus, indignè ferens sui Sacramenti totiusque meriti prophanationem

per Sacrificium meritorium, Apollyontis, pro viuis & mortuis, ad peccatorum expiationē, ex opere operato, quod sibi soli competit, eius Vocem feuerissimam, adhuc audimus in effectu sonantem.

Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam) Ministris Euangelij, veram institutionem Sacramenti & Meritum Christi profitentibus, & propter eius prophanationem, Deū pro vindicta inclamantibus.

Vz. 2.

Solue quatuor Angelos, flumine magno Euphrate ligatos) Angeli ligati, Spiritus mali, grassatores & perditores sunt, sua subiecta exagitantes, Angeli ratione ministerij, & legationis. Quatuor Orthomannus, Assembe-
cus, Candelorus, & Caramannus, Turca-
rum Duces. Euphrate ligati, & prohibiti,
nunc soluti & permisi horſum grassari, &
Antichristianismum occidentalem, pro-
pter summū scelus, prophanati Testamenti
& Meriti Christi, affligere, & populari. Er-
go Voce & Voluntate diuina Turci gras-
santur, non casu.

Et soluti sunt quatuor isti Angeli) sumpta me-
taphora à fera Bestia, quæ dum ligatur in-
nocua est: vbi soluitur, datur grassandi li-
bertas, ita. & Turcis, de quibus legantur Hi-
storiographi,

Qui parati sunt in horam, diem, Mensem, &
Annum)

Annum) indefinita temporis reuolutione, per omne tempus vsq; ad finem mundi, donec ea temporum vicissitudo, & reuolutio desinat. Turcatus manebit vsque ad finem Mundi, de quo plura cap. 20.

Vt occiderent tertiam partem hominum (Est destinatio Turcatus, ad causam finalem, ad v&æ & calamitatem, superiore maiorem, non tantùm pungendi, ledendi & torquendi homines, sed penitus occidendi, iuxta corpus, & animã. Occidentalis Apollyon, utiq; predicat Christum iuxta Personam, iuxta officium partialiter negat. Hic autem totum Christum extinguit iuxta Personã & Officium, nihil relinquit salutis hominibus, dum saltem Prophetam appellat. Idq; propter prolixas istas concertationes in Orientali Ecclesia, de Persona Christi.

Sed in media seueritate, addita est pœne moderatio pro consolatione, plures remanuros esse synceros, in toto Turcatu rectè sentiētes de Persona, & Officio Christi, ad salutem; quã qui seducerentur. Semper ergo fuit, est, & erit Ecclesia in Turcatu vsq; ad finem mundi. Dominus semper seruat sua septem milia, Elia ignorante.

Numerus autem equestris exercitus, erant duæ myriades myriadum) Numerus certus & finitus, quantumuis magnus, ne quid metua-

mus de eius æternitate. Equeltris mentio, significat pernicitatem, aut quòd Turcæ plurimum equis pugnat.

Audiui numerum eorum) ab Angelo, ne cogitemus confictum, vt ab vno homine, peruisum, innumerabilem.

Atq; ita uidi Equos in uisione, eorumq; Inseffores) Additur profopographia ex habitu, unde colligitur mentis qualitas. Equi, Turci: Inseffores, Mahometistæ, ipsorū inuestigatores sunt, per Alcoranum.

Habebant thoraces igneos, hyacinthinos, & sulphureos) Thorax bellicus pectoralis habitus est, pingit mentis affectum Mahometistarum penitus furiosum, & incendiarium, in Alcorano expressum, tripliciter ex Mose, Euangelio, & Philosophia compositum, vitiosisq; mentibus Iudæorum, Christianorum, & Gentium aptatum, aduersus Christum, & veros Christianos pugnacem, & defensorium.

Capita Equorum, erant tanquam capita Leonum) Duces Turcorum sunt instar Leonū truces, truculenti, inclementes, deuastatores, depopulatores, feroces, grassatores, lacerantes, & vorantes.

Ex ore ipsorum procedebat ignis, fumus, & sulphur) Turci idem spirant quod Mahometistæ: sunt Alcorani propagatores, & defenso-

fenfores furiofiffimi. Igne iræ Dei & diabolici furoris occidunt corpus : fumo falſæ doct̃rinæ obtenebrant mentem: Sulphuris fœtore malæ conſcientiæ ſuffocant ſpiritū, atq; ita totum hominem occidunt. Apollyonis collatione nocentior, qui tantūm venenata doct̃rina cruciabat, hic penitus occidit homines. Ipſe conſeſſit, hic vetat Biblia ſacra, doct̃rinam de Chriſto.

Ab his tribus plagis, occiſa eſt tertia pars hominum) Terroris mitigatio, & cōſolatio eſt, ne cogitemus ex æquo omnes in Turcatu eſſe perditos. Duplò plures ſunt Chriſtiani, quàm Turci in Turcatu. Dominus ſua ſeptem milia ſibi reſeruat, neſciente Elia.

Ab igne, fumo, & ſulphure, quæ procedebant ex ore ipſorum) Vitioſæ Doct̃rinæ partes repetuntur, vt corporalibus plagis nocentiores, Sophiſtica, Calumnia, & Blaſphemia, in filium Dei Ieſum Chriſtum, Deum & Hominem : Regem & Sacerdotem æternum.

Poteſtates autem eorum, in ore, & caudis ipſorum ſunt) Turci quos leonina truculentia deuincunt, ſerpentina perſuaſione Alcorani ad Mahometiſmum inſtituunt. Os & cauda habent, ſe vt Cauſa & effectus. Os doct̃rinam, cau-

da sequentem conscientiam figurat, Doctrina instigat, conscientia tandem excruciat, & extinguit hominem.

Caudæ ipsorum, serpentibus similes, habent capita, quibus nocent) Finis, & effectus Turcismi & Mahometismi, est veneno falsæ doctrinæ Alcorani infecta, & mordax conscientia, vermis nunquam moriens, semper rodens, de negato, & blasphemato Christo, filio Dei, Salvatore, de abiecto Baptismo, salutis signaculo, diuinoq; fœdere fraudato. quæ sunt æterni exitij capita nocentissima.

Cæteri autem homines, (qui non sunt occisi his plagis) neq; resipuerunt ab operibus manuum suarum, ne adorarent dæmonia, & simulachra aurea, argentea, ærea, lapidea, & lignea, quæ neq; videre, audire, neq; ambulare possunt: neq; resipuerunt ab homicidijs, ueneficijs, fornicatione, furtisq; suis) Reliquas Gentes extra Apollyonatum, & Turcatum, Christo auersas, & aduersas, idololatrias, varijsq; vitijs, contra rectam rationem contaminatas, Deus tradidit in sensum reprobum, vt sint sibi ipsis pœna, donec ad extremum iudicentur. Rom. i. quarum iam plurimas, Deo gratia, legimus, & audimus ad Christum conuerti.

Haftenus de Antichristianismo occidentali, & orientali. Sequitur de eius protractione

ctione, & quæ forma & fortuna Ecclesiæ in
terrim futura sit.

CAPVT X.

*De Angelo illustri, librum ora-
cularem apertum tradente Io-
hanni.*

ET) transitiuè, & continuatiuè, post
Tubas.

Vidi alium Angelum) Christum, aut eius
Mytagogum, angelum, ratione ministerij,
à Patre missum, ad eius voluntatis reuela-
tionem, mundiq; salutem. Mala. 3. Alium, à
cæteris creatiuis angelis, tuba canentibus,
natura, dignitate, & gloria distinctum: eun-
dem, quem vidit Daniel. cap. 12. Suprà cap.
5. Agnum, 8. Sacerdotem, nunc Iudicem.

Fortem) absolutè, sua ipsius diuina omni-
potentia, potestate, & dominatione, à Pa-
tre data, in cælo & in terra: qua creauit, gu-
bernat, & sustinet omnia, qua uicit mortem
& Sathanam.

Descendentem de cælo) non delapsum, vt Sa-
thanam, & Stellam illam, cap. 8. & 9. nec ex
Inferis prodeūtem, vt Angelū abyssi, cap.

nono. Sed Verbum ex Deo patre genitum,
& incarnatum.

Amictum nube) vera humanitate vestitū,
qua sæpius apparuit Mose, & Discipulis,
qua apparuit clarificatus in monte, qua as-
sumptus est in cœlum, & reuersurus est Iu-
dex. Act. 1.

Iris in capite eius) Mediator & fœderator in-
ter deū & homines à venturo diluuiio ignis.

Facies eius, ut Sol) totus aspectus, totaq; per-
sona, vt cap. 1. vt in Monte. Matt. 17. Sol iusti-
ciæ, Lux mundi. Mal. 4. Iohan. 1.

Pedes eius, ut columna ignis) firmo, & arden-
ti charitatis adfectu, diuiniq; spiritus sui a-
more erga nos flagrante, Impios furentis ir-
ræ igne, seвероq; Iudicio conculcante.

Habebat in manu sua libellum apertum) In ip-
so impleta, nobis aperta patet Scriptura, ip-
se aperit sensum, vt intelligamus Scriptu-
ras. Ipse solus, referatis sigillis, aperuit Li-
brum oracularem, de forma & fortuna Ec-
clesiæ, cap. 6. Dan. 12. Ipsi q; futuro extremo
Iudici patet Liber vitæ, & conscientiarum,
oculis eius omnia aperta sunt, omne Cor
patet, & Voluntas loquitur, vnde ad extre-
mum omnes iudicabit.

*Posuit pedem suum dexterum super mare, &
sinistrum super terram*) Terra, mariq; potens
Dominus, A mari vsq; ad mare, A flumine,
vsq;

vsq; ad fines orbis terræ, cuius pedibus, & possessioni Deus pater omnia subiecit Psa. 8. Ad extremum ponet inimicos suos scabellum pedum suorum Psa. 110. 1. Cor. 15.

Clamauit uoce magna) in vniuersum sonora, per Euangelium, Matt. 28. Mar. 16. Ite in Mundum vniuersum, prædicate Euangeliū omni creaturæ. Ipsi profecti prædicauerūt vbiq;: in omnem terram exiuit sonus eorū.

Quemadmodum cum Leo rugit) Leonis animal, vnum est ex animalibus throni Christi, Ezech. 1. supra 4. figurat Euangelium pœnitentiæ, & remissionis peccatorū. Parcit subiectis, & debellat superbos. Hic Angelus solus clamat. Hunc Pater iussit audire. Solus Christus prædicat, Solius Christi Euangelium debet sonare in mundo. Ministri Euangelij, tantū sunt Vox huius clamantis in deserto, mundo, Pœnitentiam agite, parate viam Domino.

Cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua uoces suas) Post Euangelium, iudiciū extremū, tonitru figuratum, solus Deus tonat, eius vox, tonitru instar, est seria, sonora. & terribilissima, iuxta typum datę Legis in Sinai Exo. 19. In baptismo Christi. in Monte, in templo. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Qui non audierit, Ego vltor existā Deo. 18. Qui non crediderit, damnabitur.

Tonitrua septem, æquant septem Tubas, Vt vna est Tuba Euangelij, ita est unū tonitru Iudicij, post tubam Euangelij. Vt Euangelium est septies illustratum. Ita Iudicium erit impijs, septies grauatum, aut post singulam tubam, singulū tonitru grandine, instar talenti.

Cum locuta erant septem tonitrua uoces suas, ego scripturus eram) Seueritatem iudicij extremi.

Sed audiui uocem de cælo, dicentem mihi: Obsigna, quæ locuta sunt septem tonitrua, ne ea scribas) Quia septima tuba nondum sonuit, iudicium extremum suspenditur. Seueritas iudicij obsignatur, nulli cognita in hac vita. nisi per eius typos, Diluuium aquæ, incendium Sodomæ, excidia regnorum, &c.

Angelus autem, quem uidi stantem super mare, & super terram) quem quoq; uidit Daniel. 12. cap. lineis indutum, habitu sacerdotali, stantem super ripam fluminis, ab altero Angelo interrogatum, de fine blasphemiarum Antichristi. Est periphrasis Christi.

Leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per uiuentem in secula seculorum, qui creauit cælum, & cælestia, Terram & terrestria: Mare, & marina) Est summa, uehemens, & grauissima obtestatio, iure iurando per verum Deum, uiuum, & creatorem Mundi, confirmata, pro
conso-

consolatione afflictæ Ecclesiæ, ex huius vitæ miserijs eximendæ, & ad æternam felicitatem asserendę, certo, & vniuersali signo præfixo.

Quod tempus non erit deinceps) Hoc tempus, est nouissimum, postea sequetur æternitas. Tempus pro forma temporis. Tempus Christi, est nouissimum, de quo passim in prophetis, & apostolis. Per septem succedaneas tubas definitum, quarum iam tantum restat vltima, eaque iam in vniuersum personat.

Sed in diebus uocis Angeli septimi, cum tuba clangit, consummatumq; fuerit Dei arcanum, sicut euangelizauit seruis suis Prophetis.) Incipiet æternum sabbathum, Redemptio, Libertas, Hæreditas. Ea septima Tuba iam clangit, dum prædicatur Euangelium regni in Mundo vniuerso, quam sequetur consummatio Mundi. Matt. 24.

Et audiui uocem de cælo, iterum loquentem mecum) Vox de cælo, vox Dei patris est, de Christo, quem iubet audire, vt qui solus nouit Patrem, & in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, præter quem nemo nouit Patrem.

Abi, accipe libellum apertum, qui est in manu Angeli, stantis super mare, superq; terram) Deus pater iubet nos ad Christum accedere, ip-

sumque audire, ab ipso discere. Accedite ad eum & illuminamini. Ipse Filius nos vocat, venite filij, audite me, timoré Domini docebo vos. Ipse pariter aperit sensum, & scripturam, in ipso completam. Nemo nouit Patrem, nisi Filius, Deum nemo vidit vnquam. Filius, qui est in sinum Patris ipse enarravit. Ipse aperuit librum oracularem, omniú mysteriorum Dei. sup. 6. Ergo ab ipso solo petenda est Dei cognitio.

Abij ad Angelum, dicens ei, Da mihi libellum) Sola Ecclesia obsequitur voci Dei, petit à Christo, & accipit veram dei cognitionem. Serpentinum genus, ipso contempto, indulget suis idololatrijs, vicijs adfectibus, & vanis speculationibus de Deo. Discurrit ad vetita præsidia, ad suorum meritorum adimicula: nititur priuatæ insipientiæ.

Ac dixit mihi. Accipe, & deuora illum) Qui petit, accipit: qui quærit, inuenit: Pulsanti, aperietur. Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum. Ipsa promptitudo Christi, nos inuitat ad petendum. Nec tantum dat libertatem accipiendi, inspiciendi, & legendi librum mysteriorum Dei, sed etiam deuorandi, ac deglutiendi in intima viscera mentis nostræ, vt sit nobis nutrimentum spiritus ad salutem æternam.

Verbum Dei
non tantum
ualet in
lingua.

Amaricabit autem uentrem tuum, sed in ore tuo,

tuo, erit ut mel, dulcis) Duplex Effectus Verbi Dei, cognitio myſteriorum Dei, mortificat carnem, viuificat Spiritum: Crucem ſequitur gloria: Mortē ſequitur Vita: Amara purgant, Dulcia nutriunt: Expurgat vetus fermentū vicioſæ naturæ, vt ſimus dulcis azyma. Euangelium habet perſecutionem comitem.

Accepi libellum de manu Angeli, ac deuorauit illum, eratq; ori meo, tanquam mel, dulcis. At cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt uenter meus) Eſt teſtimonium experiētię, & conſcientię de effectu Verbi Dei, quo quiſq; ſibi ipſi teſtis eſt, de conformitate Ieſu Chriſti, de Cruce, & Gloria: De mortificatione veteris, & viuificatione noui hominis. i. Ioha. 5. Qui credit in filium Dei, teſtimonium in ſeipſo habet. Quod qui non habet, de Chriſto nihil accepit, nec habet. Quiduis in verbis, in re nihil habet. Eſt ſine mente ſonus, Cymbalū tinniens. i. Cor. 13. Dulce eſt ſcire, amarū eſt experiri fortunam Eccleſiæ.

Ac dicit mihi) in Perſona vniuerſæ Eccleſiæ, omniumq; miniſtrorum Euangelij.

Oportet te iterum prophetare in populis, gentibus, linguis, et regibus multis) tempore ſeptimę & vltimę Tubæ, quæ iā prædicato Euangelio, perſonat in mundo vniuerſo, mox ante conſummationē, qua & Antichriſtus, Apol

lyon iste, haectenus in templo Dei sedens, adoratusq; vt Deus, detracta hypocrisi, pelleq; ouina, agnoscitur Lupus rapax, destruiturq; Spiritu oris Christi, fornicariaq; ista Babylonica Meretrix ruit in æternum exilium, nunquam instauranda. Sequitur itaque in duobus proximis capitibus imago de forma & fortuna Ecclesiæ, vsq; ad septimam, vltimamq; Tubam, finemq; Mundi sub Antichristo.

C A P V T X I.

De tertio, vltimoq; Templo. De duobus testibus Christi, eorumque tempore, & de Septima Tuba.

ET) Continuationis nota cum superioribus.

Datus est mihi calamus, uirga similis) Ad nouam tertij Templi structuram, post primi, & secundi Templi destructionem.

Dicens) Angelus ille illustris.

Surge) post Iudaismi excidium, post destructum Templum, & calcatam Ierusalem à Gentibus.

Metire

Metire Templum Dei) in quo Deus adoretur, Ecclesiam, secundum suas partes, integrales, & discrimen. Templum illud tertium, de quo Ezech. 40. multo amplius, & capacius, gloriosiusq̄, quàm quòd fuit primum, in quo apparuit gloria Domini, per in censum sacrificium, & propiciatorium: quàmq̄; secundum, in quo apparuit Christus in carne per miracula. In hoc tertio autem, apparebit Christus in gloria æterna, in folio maiestatis suæ, vt sequitur in fine huius capituli. Continente sumpto pro contento, Templo, pro Ecclesia electorum. 1. Cor. 3. Templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis.

Et Altare) Christum, Deum, & Hominem: Regem, & Sacerdotem æternum, qui est pariter Altare, Sacrificium, & Sacerdos.

Adorantesq̄; in eo (Ecclesiam electorum, adorantes Deum Patrem, in Spiritu, fide, & veritate. Iohan. 4. Eæ sunt partes integrales huius tertij Templi, Christus & Ecclesia piorum. Extra hoc templum, & præter hoc Altare, nemo adorat, & colit Deum, neque sacrificat.

Atrium autem, quod intra templum (fuit) *extra exclude, nec metiaris illud*) Veteris templi tres fuerunt partes. Atriũ, Sanctuarium, & Sanctissimum, seu penetrale. Atrium fuit

ad primum introitum, promiscui vulgi capacissimum, Sanctum occupabant Sacerdotes, Sanctissimum penetrale, tantum ingrediebatur summus Sacerdos. In quod remoto velo, Christus nos secum introduxit. Ebr. 6. postquam per suum ipsius sanguinem introijt. Ebr. 9. abrogauit Atrium, atrijq; sacrificia typica, typicumq; sacerdotiu, & sacerdotes. fecit nos omnes regale sacerdotium, introduxit nos ad ipsum Propitiatorium, in sanctissimo penetrali. Ideoq; Atriu cum omnibus typis abrogauit, & excludi iubet.

Datum enim est Gentibus) extra Ecclesiam populis, vt olim extra Israelem, qui quidem simulant noticiam, cultumq; Dei, sed re non prestant. Ore fatentur se nosse Deum, factis negant. Eorum maxima est copia, nomine, & titulo Christiano, colluies diuersarum opinionu volunt esse de potiore parte Ecclesie, sed non sunt, ideo excluduntur. Vera Ecclesia in penetrali est paucissima, & abscondita in Deo, cum Christo. Gentes autem.

Ciuitatemq; sanctam calcabunt) Iuxta suu ipsius dictum prius. Luc. 21. Ierusalem calcabitur a Gentibus, donec impleatur tempora Gentium. Calcatio Ierusalem includit totu, finale, perpetuumq; excidium totius Iudaei, per Vespasianu & Titum, ipsumq; Constantinum penitus, quando extincto

Sacer-

Sacerdotio, & Regno, totaq; Gente, ad extremum Sabbathum, & Pascha translatum est tempore Constantini, tunc ab integro alius populus, Regnum, & Sacerdotium, Templumq; Deo, & Christo constitutum est.

Mensibus quadraginta duobus) Præfixum est à Christo tempus Gentibus Ierusalem calcantibus, donec ingrediatur plenitudo Gentium. Rom. II. Quos 42. Menses oraculares si resolvas in dies, seu annos, faciunt 1260. Quos si cum Paulo incipias à fine gentilis quartæ Monarchiæ, à Constantino conuerso, & ab exordio Antichristi, sedentis in Templo Dei, certum est, iam tempus ferè elapsum esse. Sed quia eius exordij certus annus, diesq; dari non potest, ergo nec potest demonstrari certus finis, eum sibi Deus Pater reseruauit. de quo postea plura,

2. Theff. 2.

Et dabo) Ego Christus, huius mei Templi extractor, eiusq; perpetuus inhabitator. Verbum, os, & sapientia. perpetua successione.

Duobus Testibus meis) Ministris Euangelij, & quibusuis prophetiæ, & Apostolicæ doctrine propugnatoribus, & professoribus, de mea Persona, & Officio, quod sim Deus & Homo: Rex & Sacerdos æternus, Ecclesiæ vniuersæ, & Hæres totius Mundi. Iuxta meum ipsius Verbum. Iohannis. 15. Spiritus sanctus testimoniū perhibebit de me, & vos testabimini, quia ab initio mecum estis,

Et eritis mihi Testes, in Iudæa & Samaria, vsq; ad extremum terræ. Non possumus ea quę vidimus & audiuius, nõ loqui. Act. 4.

Et prophetabunt). Euangelium prædicabunt, pœnitentiam & remissionem, in meo Templo, in Ecclesia, propter Electos natos, & nascendos vsq; ad extremum, etiam inuito Antichristo, & Bestia, quantumuis eos profliget & occidat, substituat alios.

Dies mille ducentos, sexaginta) quamdiu calcatur Ierusalem à Gentibus, ingrediaturq; plenitudo Gentium, impleanturq; tempora Gentium, & Antichristus sedeat in Templo Dei, per Menses 42. tantisper, mei Testes prædicabunt, euangeliumq; sonabit in Ecclesia.

Induti saccos) centones, vestes viles, lugubres, & pœnitentiales, ipso habitu significantes ministerium, professionem, doctrinam, & euentum, vt prophetæ, & Iohannes, versati in montibus, induti pellibus, dum interim Palpones in domibus regum vestiuntur mollibus. Sequitur Ministerij, in ministris, descriptio.

Hi sunt due oliuę, & duo candelabra, in conspectu Dei terrę stantia) iuxta veterem typum oleum fouet lucem: Euangelium est doctrina gratiæ, & illustrationis Dei, confert remissionem, & Spiritum sanctum, eaq; stat & per-

& permanet in conspectu, præsentia, & conseruatione Dei, etiam in vitis omnibus eius hostibus.

Et si quis uoluerit eos ledere) occupatio est ab aduersæ partis præsumptione, ad deprauandam, tollendam, aut extinguendam eã doctrinam, ministerium, & ministros per Sophisticam. aut tyrannidem.

Ignis exit ex ore ipsorum, ac deuorat inimicos eorum) Ignis sacer, qui est de cælo demissus, in Apostolorũ, omniumq; ministrorũ Euangelij pectora delapsus, quem spirat ore, Deus ipse. Verbum Dei, exurit euangelij hostes, vt inquit Christus. Verbũ, quod loquor vobis, iudicabit vos. Verbum Dei in conscientia vestra, exardescit, & flagrat in æternum. Deus ignis consumens & indeficiens est. Deus ipse conseruabit Ministerium Euangelij, & punit hostes. Ignis Dei diuersus est in pijs, & impijs. In pijs est ignis amoris, In impijs est ignis iræ, & furoris Dei, planè infernalis.

Si quis uoluerit eos ledere, sic oportet eum occidi) Repetit pro cautione, abstinentia, & reuerentia ministerij, iuxta typum Elię, qui hoc igne occidit bis quinquaginta viros.

Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat, diebus prophetiæ eorum) Potestatem, à Deo traditam, ratione ministerij, non priuati ad

fectus. Mat. 17. Ioh. 20. iuxtà typum Elię, impiorum respectu, ad pœnã talionis, de contemptu, & persecutione Verbi, & ministerij, vt sentiant sibi clausum cœlum, iratum Deum, & denegatã pluuiam gratię, vt perpetua fame tabescant.

Potestatemq; habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem) Alludit ad typum Mose, & Aaron, in Ægypto coram Pharaone. Exod. 4. Hostes Euangelij, pro salutari aqua gratiæ Dei, rei erunt profusi sanguinis Christi, & omnium iustorum ab Habel vsq; occisorũ. Pro pace sustinebunt bella, quæ Apollyon mouit, & sustinuit varia, corporalia, & spiritualia.

Et percutiendi terram omni Plaga, quoties uoluerint) Æquẽ vt Ægyptus percussa est varijs plagis, ad pœnitentiæ monitionem, donec obstinatus Apollyon cum suis locustis demergatur in stagnum tartareum, totoq; obruatur ignis Diluuiio. Tantum abest, vt portæ infernales quicquã præualeant, aut impediant Euangelij ministerium, dũ Christus ipse tutor adierit vsq; ad consummationem seculi.

Porrò, cum finierint Testimonium suum) De curso præfixo ministerij spacio, mille, ducentorum sexaginta dierum, seu annorum, à fine quartę gentilis Monarchiæ, & Sessio
ne An-

ne Antichristi in templo Dei, supputandorum. 2. Theff. 2. Idque in vltima hebdomada oraculari, in priore eius parte, 1290. dierū. Dan. 12. circiter tres dies oraculares & dimidium, seu totidem annos.

Bestia, quæ ascendit ex Abyffo) Apollyon iste, rex locustarum infernalium, sedens iam ad gubernacula quartæ Monarchiæ. Deo permittente & numero Electorum impleto.

Faciet aduersus eos bellum) vtroq; gladio disputando, & calumniando: excommunicando & perfequendo, de quo infra. 16.

Ac vincet eos) non veritate, sed sophistica, & tyrannide. Dan. 7. Sanctos altissimi conteret.

Et occidet eos) Prophetiâ planè prohibendo, & Spiritum extinguendo, iuge auferendo, & suam abominationem restituendo. Da. 12. in publicis Concilijs, & Comitijs manentibus vtiq; vbiq; locorū copiosissimis concionatoribus, sed perfunctoriè, & ex præscripto Apollyontis regis locustarum, sophistarum docentibus. Christi Testibus occisis, cessabit Verbum.

Corpora eorum) Ipsi ministri, ipsorumq; scripta, in quibus fouetur vitalis Spiritus cognitionis Dei, & Christi, exuta officio, & detracta authoritate, publico hæreticorum cathalogo, & euulgato canone, æternoq; anathemate damnata.

iacebunt) & iam iacent prostrata & abiecta.

In plateis) in omni occurſa, & conſpectu: Non in domibus priuata doctrina utiq; manebit.

Ciuitatis magnæ) Babylonis, Antichriſtianiſmi, quæ quoq; ſuis legibus gubernatur. Magna, ratione quantitatis, dominij, & æſtimationis.

Quæ ſpiritualiter (ſeu figuratè) dicitur *Sodoma*) ratione fornicationis, omniumque viciorum.

Et Aegyptus) ratione tyrannidis, & obſtinationis.

Vbi Dominus noſter crucifixus eſt) Periphraſis Ieroſolymæ eſt, ratione blaſphemix, & homicidij Chriſti. Antichriſtiana Babylon eſt omnium viciorum colluuiſ, obſtinata, in Deum blaſphema, Chriſti, omniq; eius Teſtium homicida. Quod inquit Angelus, Dominus noſter, ſignificat ſe eſſe Chriſti Myſtagogum.

Haſtenus bellum & dies tribulationum Antichriſti, poſt quos Chriſtus inquit Aſtra extinctum iri, ad reliquos tres dies, & dimidium. Matt. 24.

Atq; aſpicient ex populis, tribubus, linguis & gentibus) in vniuerſum omnibus hominibus, in, aut extra Antichriſtianiſmũ, cognita erit

ta erit hæc extrema immanitas, cuius non fuit similis ab orbe condito. Matt. 24. Dan. duodecimo.

Corpora eorum) quæ fuerunt habitacula, & instrumenta Spiritus sancti. Item, eorum Scripta, quæ sunt receptacula diuinæ mētis.

Dies tres, & dimidium) oraculares, faciunt totidem annos, aut dies vsuales 1335. Dan. 12. alteram partē vltimæ hebdomadæ, quando Sole, Luna, & Astris oracularibus tenebratis, mundus declinabit ad interitum. Si intelligas de diebus naturalibus, faciunt posterioriorem partem vltimæ hebdomadæ diurnalis, quæ se habebit ad typum primæ, Gen. 1. in cuius medio, vt illuxit, ita in huius medio extinguetur Sol, manente vtiq; die, in sua reuolutione, vsq; ad vltimum quatri-duum, quando Lux diei, vt primùm ex tenebris producta, ita desinet in æternas tenebras, quas Christus vocat extremas, quas non sequatur lucis reuolutio, quibus impij inuoluentur, vtq; in carcere occludentur. Suprà. 6. Tantùm, de forma vltimæ hebdomadæ, nihil de eius momento, de quo, vt nec de totius supputationis 1260. dierum, initio, quicquam definiri potest. Vide Lutherum in Daniele.

Neq; corpora eorum sinent poni in monumentis) extrema seuitia, & immanitas est, nõ sa-

tiari conuitijs, calumnijs, blasphemijs, persecutionibus, cæde, & sanguine, quin insuper mortua cadauera, non dignari sepultura, in mortuos debacchari, cum laruis pugnare, ad canes & coruos proijcere, pedibus proculcare, pro ludibrio insultare, sarcasmos eiaculari, conuicia cumulare, in omnibus suggestibus, & cathedris hæreseos infamare, ipsorum scripta vetare ne excudantur, vni in proponantur, & in bibliothecis reponantur. Ea iam sunt in vsu, & experientia. Testiumq; corpora iacebunt inhumata vsq; ad resurrectionem.

Inhabitantes terram) rerum potitores, pars aduersa, Apollyon cum suis locustis, sophistis & tyrannis, quorum habitatio non est in cœlis.

Gaudebunt super illis, letabuntur, ac munera mittent inuicem) quasi re bene gesta, & Deo fortunante, potita victoria, veluti de tumultuarijs, & turbatoribus, hæreticis: ac munera mittent, quasi gratulatoria signa, arbitrati se obsequium, cultumq; præstitisse Deo, de sublatis istis furiosis, de repurgata, & restituta veteri, & vsitata religione, promittentes sibi in posterum pacem, tranquillitatem, & secura ocia. Ioh. 16. 1. Theff. 5.

Quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitant super terram) quasi, qui fuerunt
causa

causa omnium tumultuum, & controuersiarum, in Synodis, Concilijs, & Comitijs; quòd doctrina Euangelij arguit omnes falsas doctrinas dæmoniorum, excruciat totum Antichristianismum orientalem & occidentalem, de Persona, & officio Christi. Sed momentaneum hoc erit gaudium, cū dixerint pax, securitas, & tuta omnia, tunc repentinus eos obruet interitus, vt dolor parturientem. 1. Theff. 5.

Post dies tres, & dimidium) tum oraculares, tum vsuales, de quibus suprà. Dimidietas illa significat abbreviationem.

Spiritus uitæ à Deo intrauit in eos) Significatur resurrectio vniuersalis, iuxta typū Christi, post dies tres resurgam: & iuxta typum; Ezech. 37. Iustorum animæ in manu Dei sunt, ipse conseruat, & restituit. Sap. 4. Vita piorum in Deo abscondita est. Coloss. 3. Osee. 6. Die tertia resuscitabit nos.

Et steterunt super pedes suos) vt illi Eze. 37. In magna constantia, aduersus suos angustiatores. Sap. 5.

Ad timor magnus inuasit eos, qui uiderunt eos) ipforum angustiatores, videntes, turbabuntur terrore horribili &c. vide totum caput Sap. 5. Vtq; exterriti sunt Custodes, resurgente Christo.

Audiueruntq; uocem magnam de cælo) Vocē Dei, in vniuersum sonorā, & gratā

cum ascensionis potentia coniunctam, qua rapiemur Christo obuiam. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, vobis ab initio paratum. Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Vbi cadauer ibi Aquilæ.

Dicentem ipsis) Testibus Christi, cæteris non item, ipsi vt plumbum, vt saxum deuergent in profundum tartarei maris.

Ascendite huc) Vbi ego sum, ibi minister meus erit, Assumam vos ad me, vt sitis mecum. Eius vocis virtute ascendent, eritq; sanitas in pennis eorum, Mala. 4.

Ascenderuntq; in cælum nube) iuxta typum ascensionis Christi. Nemo ascendit in cælum, nisi per eum, qui descendit. Quod præcessit in capite, sequitur in corpore.

Et uiderunt eos inimici eorum) summo cum mœrore. vt Sap. 5. vt Matt. 7. præter opinionem mutatis vicibus, cū Catholicis insinuat hæreticis.

Ipsaq; hora) continuè, eodem momento.

Factus est terræ motus magnus) per seuerissimum tonitru Iudicij Dei super Impios, multò sæuerius, quàm in monte Sinai, quo præter opinionem exterrebuntur, & ad tartara adiudicabuntur omnes hostes Christi, ponenturq; scabellum pedum eius.

Ac decima pars Ciuitatis) Babylonicæ, Antichristianæ. Ceci-

Cecidit)ruit in æternum exicium.

Occisãq; sunt in terræ motu illo)morte æterna damnata.

Nomina)pro nominatis factionibus, doctrinas dæmoniorum, contra conscientiam defendentibus, in Spiritum sanctum peccantibus.

Septem milia)vt certus est numerus Electorum, ita & damnatorum, ne putemus Deum quenquam promiscue damnare. Cogita quot homines in singulis nominibus sectarum sint, certè, turba multa, quam dinumerare nemo hominũ, & angelorum poterit. Stultorum infinitus est numerus.

Reliqui autem(qui nesciunt discrimen inter dextrum, & sinistrum, vtra pars habeat iustiore causam, Simples persuasione Nominatorum seducti, vt vulgus Niniuitarum, & Iudæorum, per Pontifices, Phariseos, & Scribas, authoritatis præstantia, ad suas partes pertractorum, vt conclamarent super Christum, Crucifige, putantes ipsum conuictum, vt hæreticum, habere malam causam. Iam autem præter opinionem sequente diuerso euentu.

Territi sunt)vt in terræ motu crucis Christi, vt in resurrectione, custodes, vt reliqui omnes, in die Pentecostes, per testimonia Apostolorum.

Dederuntq; gloriam Deo cœli) glorificauerunt verum Deum, Christum, Saluatorem mundi, ac detestati sunt Antichristum, cum omnibus suis doctrinis dæmoniorum. Nemo ergo damnatur, nisi qui contra conscientiam peccat in Spiritum sanctum. quod peccatum non remittitur, neq; in hoc, neq; in futuro seculo, sed plectetur in ipso peccante indefinitè, Secundum peccatum pœna, de qualitate, & quantitatè.

Væ secundum) post sextam Tubam, de quo supra, cap. 9. Transitio est.

Præterijt) descriptione, non cessatione, nisi in fine mundi, vt capite 20. Nisi intelligat hanc Antichristianismi impugnationem, & ruinam Babylonis per Euangelium Christi, vt cap. 18.

Longa illa parenthesis, per 10. & 11. cap. de Christo, Ecclesia, & Testibus Christi, interposita est, propter formam, & fortunam Ecclesiæ, inter sextam, & septimam Tubam, huiusq; protractionem.

Ecce tertium Væ) post septimam Tubam, post vltimã illustrationem doctrinæ Euangelij. vltimus furor Antichristi.

Veniet citò) inmediate, continuè, vt nostra hæc satis comprobant tempora.

Septimus Angelus Tuba clauxit) Ad septimũ, & vltimum Euangelij Iubileum. de remissione,

sione,

sione, restitutione, & libertate: de repurgata & renouata doctrina Euangelij, eiusque prædicatione in mundo vniuerso, mox ante consummationem. Mat. 24. Per hanc septimam Tubam cognitum est, quæ sit vera Ecclesia. cap. 12. Quæ sit vera Bestia. capite. 13. Quis sit verus Agnus, Christus, eiusque regnum, cap. 14. Quis sit huius Tubæ effectus, Repurgat doctrinam Euangelij per septem angelos, & per accidens excitat tumultus aduersæ partis, capite 15. & 16. Demonstrat florentem & ræuentem Babylonem cap. 17. & 18. Donec ad extremum Bestia ista, cum suo propheta percipitetur in Stagnum tartareum, cap. 19. Et Sathan cum suo Gog & Magog, eodem abijciatur capite 20. Ac tandem Sponsa Christi, noua Ierusalem, Ecclesia Electorum excitata asseratur ad æternam fœlicitatem. Hæc cohærent singula, in sua proprietate, & sunt promiscuè iam in effectu, donec impleantur omnia Scripta prophetarum, supra cap. 10.

Et factæ sunt uoces magnæ) primus effectus Tubæ Euangelicæ. Voces magnæ, multæ, & diuersæ, liberæ, gratulatoriæ & Iubilares, diuersarum linguarum, in omnibus populis, tribus, & gentibus. Supra 10.

In cælo) in Ecclesia Electorū, & Angelorū.

Dicentes) promiscuo iubilo gratulantes.

Facta

Facta sunt, Regna huius mundi) quæ Sathan hæctenus per Idololatrias, & Antichristus per doctrinas dæmoniorum occupauit, & & Apollyon iste, cum suis infernalibus locustis vastauit, Ea iam facta sunt regna.

Domini nostri, & Christi eius) Iam clangente Tuba, & Euangelio in vniuersum prædicato, verus Deus Pater, & Christus eius, Dominus noster, Rex & Sacerdos æternus, absolutus, & vniuersalis agnoscitur, adoratur, inuocatur, & colitur, Sathana, & Antichristo eius, cum suis doctrinis dæmoniorum, idololatria, & tyrannide abiecto, expulso, & abrogato. Iam facta est veteris possessionis vera restitutio & libertas, iam verus est Iubileus.

Et regnabit in secula seculorum) Antichristo, nunquam post hac, eius regna occupante, sed ipso contrito, & ad tartara præcipitato, regnabit in omnem æternitatem. Dan. 2. 4. 7. & hic, in omnibus sequëtibus capitibus.

Viginti quatuor Senatores) Scripta Prophetarum, & Apostolorum, quasi Assessores regni exceptores, & pro mulgatores consiliorum, mandatorũ, & oraculorum Dei, sine quibus conscijs, Deus nullum facit verbũ, aut rem, nisi prius ipsis suum secretum reuelauerit, non vt consilarijs, sed vt præconibus ad suam Ecclesiam, ex quibus, iudicia,
decre-

decreta, oracula, consilia, voluntas, responsa, & mandata Dei petuntur.

Coram Deo) in eius conspectu, cura & conseruatione.

In thronis suis sedentes) in autoritate, potentia, & reuerentia diuina, de quibus supra quarto.

Procubuerunt in facies suas) agnoscentes suum authorem, & effectorem.

Et adorauerunt eum) ipsi tribuentes reuerentiam, honorem, & gloriam de suorum vaticiniorum effectu, & veritate.

Dicentes) in omnibus pijs, sanctis, & electis.

Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens) Laudamus, glorificamus, accepta referimus tibi omnia. Ihoua, Elohim, est vera appellatio veri Dei, vnotrini. Omnipotentia, includit omnia appellatiua, epitheta, & predicata Dei.

Qui es, eras, & futurus es) est periphrasis æternitatis, excludit omnem Creaturam. omnipotentia & æternitas sunt soli Deo congrua.

Quod accepisti potentiam tuã magnam) sumpta vindicta ab omnibus tuis hostibus, quibus prostratis, & euictis, restituisi tibi ablatum regnum tuũ: impletisq; oraculis tuis, nobis reuelatis, declaras omnipotentiam

tuam, quam dissimulasti, grassantibus & in
folescentibus aduersarijs tuis, quibus per
te, nullumq; aliú, superandis, & superatis.

Regnasti) verus, absolutus, omnipotens,
& æternus Rex, & Monarcha.

Et iratæ sunt Gentes) extra Ecclesiam popu
li, Apollyontis familia per accidens ex
clangore Tubæ, vsitato suo more exagita
tæ per Angelum Abyssi, Apollyontem.

Venitq; ira tua) quoq; per accidens, causa
ta, ex ira Gentium, quam sentient perpe
tuo furore flagrantem. Psal. 2.

Ac tempus mortuorum) resuscitandorum,
sub Altari dormientium. supra. 6. de sui vin
dicta clamantium, ad tuum Iudicium pro
nocantium.

Iudicare) vt iudices, ac longas, perpetuas
que istas lites, & à te positas inimicitias in
ter Mulierem, & Serpentem dirimas, Ser
pentisq; caput conteras, ac tuos hostes sca
bellum pedum tuorum ponas.

Ac dare) vt des, *Mercedem*) non ex meri
to, sed ex pacto, & cõpensatione, iuxta tuã
ipsius promissionem, Merces vestra copio
sa est in cœlis. Matt. 5.

Seruis tuis) tuis cultoribus.

Prophetis) verbi tui ministris.

Et sanctis) tibi segregatis, destinatis per
Spiritum

Spiritum sanctum sanctificatis, à Mundo, exemptis.

Timentibusq; nomen tuum) te reuerentibus, tuis mandatis sequentibus.

Puillis & magnis) tuorum donorum respectu, eorumque effectum obscuris, & illustribus. Dan. 12. 1. Cor. 15.

Ac disperdere eos, qui perdunt terram) ab usu optimarum creaturarum, perniciofa doctrina dæmoniorum, varijs vitijs, sceleribus, flagitijs, hypocrisi, sophistica, & tyrannide.

Omnia Prophetica, & Apostolica scripta conclamant, Consummata esse omnia oracula Dei, saltem restare Diem, iudiciumq; extremum. de quo sequitur.

Et apertum est Templum Dei in cælo) Templum Dei, Ecclesia Sanctorum est, in quo Deus habitat, & colitur. 1. Corinth. 3. quod hæc uis extructum, & ædificatum est. Illud iam aperitur ad perpetuum Dei cultum. Reuelantur Filij Dei, quorum glorificationem sollicitè ingemuerunt, & expectarunt omnes creaturæ, in quam desiderauerunt omnes Angeli conspiciere. In cælo, diuinum, spiritale, glorificatum, immortale, &c.

Visaq; est Arca Testamenti eius) Christus, in quo nobis Deus uia uoce locutus est.

In Templo eius) in ecclesia sanctorum, electorum,

118 APOCALYPSIS
& Angelorum suorum. Matthei 25.

Et facta sunt fulgura, fragores, tonitrua, terræ motus, & grando magna) Seuerissimi Iudicij Dei, super Impios, iuxta typum latæ Legis in Sinai, non feriendo montes, & arbores, sed rectâ, directis telis in damnatos. Sap. 5. Pluetq; toto Diluio ignis perpetuæ iræ Dei.

C A P V T X I I .

De Ecclesia, perpetuoq; eius Hoste, & Defensore.

ET) Transitio est ad aliâ narrationem. *Signum*) figurans rem signatam, Propositio est.

Magnum) ratiōe signati, quod includit omnes species quantitatis de Ecclesia, ab initio vsque ad finem mundi. facit attentionem.

Apparuit) non ab homine confictum.

In cœlo) à Deo ostensum, de rebus cœlestibus, in terra agendis. facit attentionem, ad narrationem.

Mulier) illa, cuius Semē conteret caput Serpentis: Ecclesia, Christo coniuga, Narratio.

In sole) Christo, ratiōe Creationis, & originis.

inis. In iusticia, & sanctitate vera. Item ratione promissionis de Iustificatione, in Fide Christi.

Luna sub pedibus eius) Lex Dei, ad dirigendos gressus eius. Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen semitis meis. Aut, carnis muntabilitatem, pedibus calcans, pijs affectibus supprimens.

In capite eius) Christo rege.

Corona) regia, regis cœli, Christi, coniūx.

Stellarum duodecim) Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, regis stirpis.

In utero habens) Verbum Dei, ex Deo Spiritu sancto conceptum, Benedictum illud Semen, Messiam, filium Dei, Salvatorem Mundi, quem in Maria virgine peperit incarnatum.

Clamavit) præ dolore angustiarum.

Dolens, & angens, ut pareret) tempore natiuitatis Christi, diuexata ab Herodis familia qui totam Dauidicam stirpem voluit eradicare, cogebanturq; Dauidici ex Bethlehẽ, Nazaretham profugere. Aut. Ecclesia, magno angore peccati, expetebat exhibitionem, & incarnationem Christi.

Haecenus Ecclesie, sequitur eius Hostis descriptio.

Et apparuit aliud signum in cœlo) à Deo ostensum, figurans perpetuum hostem Ecclesie, Sathanam.

Ecce) mirabile, inopinatum, & obseruandum;
Draco) primarius iste Serpens in Paradiso, iam ex vetustate Draco.

Magnus) immanis, crudelis, inusitatus, excellentis, vniuersalis, per totum mundum, totumque eius tempus extensus Deo, omnibus hominibus, & Angelis infestus, omnium calamitatum causa.

Ruffus) igneus potius, virulentus, sanguinarius, perpetuo odio, & nocendi studio aduersus Deum, Christum, & Ecclesiam eius flagrans, mendax & homicida ab initio:

Habens capita septem) Sophisticam, Calumniam, Blasphemiam, Tyrannidem, Idololatricam, Securitatem, & obstinationem, semper septem cornibus, & oculis Agni, septemque Lampadibus throni Dei aduersa, supra 4. Septem Tubis Euangelij opposita, & reclamantia.

Cornua decem) regna impietatis, quæ extruxit Cain, Nimrod, Ægyptus, Babel, Persia, Græcia, Italia, Gothia, Apollyon, & Gog.

In capitibus diademata septem) potitæ victoriæ signa, aduersus regiam Mulierem.

Cauda eius) flexiloquentia, insinuatio, sophistica, quibus facit nexus, & nodos, aliosque implicat, inuoluit, & constringit actis.

Trahit

Trahit tertiam partem stellarum) vtrunq; intelligas, vtrunq; verum est, primùm, de Angelis lapsis, secundò de Doctoribus Ecclesiæ, & magistratibus.

Deicitq; eas in terram) è cœlo ad perditionem, ex Ecclesia, ad Politica mundana.

Tota hæc descriptio Draconis, completitur mysterium Sathanæ, conuenitq; cū descriptione Bestiæ quartæ, propter conformitatem, & personationem. Dan. 7. In-
fra. 13. 17.

Ac Draco stetit coram Muliere parturiente) Sathan semper infestus Ecclesiæ, diligenter obseruauit incarnationem Benedicti Seminis, quod caput eius contereret, maxime autem per Herodem.

Vt cum pareret, filium eius deuoraret) Præcipua causa finalis Sathanæ semper fuit, Christi incarnationem, aut impedire, aut statim extinguere, ne caput eius contereretur, ne ue nos redimeremur. Ita Sathan Christo infestus absolutè, Ecclesiæ per accidens, eiusque respectu.

Peperit autem Filium masculum) Messiam, Christum, per Mariã virginem, iuxta veteres promissiones. Gabrielisq; adnuncium.

Qui regeret omnes Gentes uirga ferrea) qui omnes, extra Ecclesiam impios, duro æternæ damnationis Iudicio contereret. Psa. 2.
Finale officiũ Christi, includit præcedens,

Duo enim sunt principalia officia Christi, Saluare Ecclesiam, & perdere Synagogam Sathanæ.

Porrò raptus est filius eius ad Deum, et ad thronum eius) Ascendit ad cœlos, sedetq; ad dexteram Dei Patris, in æquali eius essentia, potentia, & gloria.

Mulier autem) vera Ecclesia.

Fugit) à Dracone eiusq; semine, per duodecim persecutiones & Sophisticam de Paschate, profligata.

In desertum) in solitudinem huius mundi, vbi latet destituta, exul, & obscura, dum falsa Ecclesia floret.

Vbi habet locum à Deo paratum) Hospiciū, iuxta typum Abdiæ, qui occuluit, & pauit centum prophetas. 3. Reg. 18. tempore grasationis Achab.

Vt eam ibi pascant) Verbo, & Sacramentis, corporisq; alimentis. Locus prouidentia Dei, tempore persecutionū : oportet enim Ecclesiam Christi manere in mundo, vsq; ad finem.

Dies mille, ducentos, sexaginta) oraculares præfixum exilij tempus, vt Israelis in Ægypto, & Babylone, pro redemptionis consolatione, quantisper Antichristus, (vera Ecclesia in desertum, exiliumq; profligata, de pugnatq; prælio) sedet in Templo Dei, vt
Deus,

Deus, à fine gentilis quartæ Monarchiæ, donec Testes Christi iaduti saccos, peridem tempus prædicent. Certum tempus pro incerto habere; facit omnia certa, vt sint incerta.

Factum enim est prælium in cælo) Causa & narratio profugij in desertum, & exilium. Præliū istud fuit pugna inter Angelos, in cælo propriè. Aut figuratè in Ecclesia, fuerūt 12. illæ persecutiones à nato, assumptoque Christo, vsq; ad Constantinum, per 315. circiter annos.

Michael) Christus. Archangelus ille, de quo Dan. 10. & 12. qui est sicut Deus.

Et Angeli eius) spirituales, & corporales, omnes, Christi, & Euangelij eius, professores.

Præliabantur) Verbo Euangelij. Arma militiæ nostræ, non sunt carnalia, sed diuinæ potentiæ. 1. Cor. 10.

Cum Dracone) Sathana, Bestiâ exagitante.

Etiam Draco pugnabat) perpetuus Michaelis, Christi, antagonista, Antichristus.

Angeliq; eius) tum spirituales, tum corporales: hi ab illis exagitati.

Sed non ualuerunt) vt qui habuerunt malam causam, ceciderunt causa, victi sunt. Michael, Christus, æternus, absolutusque rex & Monarcha, hæreditarius Heros mun

di, superavit, agnitus est à Constantino, quarto Monarcha. Eiq; se flexit omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, omnisq; lingua confessa est, Christum esse in gloria Dei Patris, Phi. 2. esse verum Deū.

Neq; inuentus est locus eorum amplius in cœlo) tum propriè, tum figuratè loquendo. Post cœleste prælium, deiectus est Sathan, cum suis cōplicibus. Post ecclesiasticū prælium, abrogata est gētilis idololatria, in tota Monarchia, nec habuit locū in ecclesia Christi.

Proiectus enim est Draco iste magnus) Sathan, de quo suprà. Ratio est victoriæ.

Serpens antiquus) ab origine mundi, in Paradiso primis parentibus insidiatus, eosq; labefactans.

Appellatus Diabolus) Græcè, calūniator.

Et Sathanas) Ebraicè, aduersarius, primarius, capitalis, perpetuusq; hostis Dei, Christi, & Ecclesiæ eius: qui omnia eius dicta, & facta calumniatur, maliciosè interpretatur, sophisticatur, ac tandem impios instigando, & exagitâdo, violenter persequitur.

Qui seducit totum orbem terrarum) qui mendaciter persuadendo transuersos agit homines à Deo.

Proiectus est in terram) Primū de cœlo deiectus est ad inferos, Deinde, abrogata gentili idololatria, in qua venerabatur vt Deus abic-

abiectus est, & ligatus ad mille annos. infr. 20.

Angeliq; eius proiecti sunt) omnes idololatræ, vates, mystæ, propagatores gentilissimi, Primùm omnes complices, mali spiritus, abiecti sunt.

Et) transitivè, post depugnatum præliũ.

Audiui uocem magnam) pariter in cælo inter Angelos, & in tota Ecclesia sonoram, gratulatoriam, iubilarem, triumphalem, epinikion.

Dicentem) per Angelos & Sanctos.

In Cælo) propriè, inter Angelos, figuratè, in Ecclesia, inter Pios.

Nunc facta est Salus) ab hoste deuictio.

Potentia) liberè agendi, iuxta Verbũ Dei, sine aliqua interpellatione, & perturbatione Sathanæ.

Et regnum Dei nostri) vastato, & abrogato regno & tyraniide Sathanæ, per Idololatriã.

Et potestas Christi eius) liberè prædicandi Euangelium, & administrandi Sacramenta.

Quia abiectus est (accusator fratrum nostro- rum) *qui accusabat eos ante conspectum Dei, die ac nocte*) Apparet vt sit mimesis Angelorum, de vindicatis Christianis, ab accusatore Sathana, Deũ aduersus pios instigãte ad tentationẽ, & ad plagas postulãte, vt de Iob. i. de Discipulis cribrãdis, vt triticũ. Luc. 22. Aut, vt sit mimesis superstitum piorum, post per-

secutiones. Sathan semper accusat nos coram Deo de peccato, ac postulat pœnas. Aduersarij nos accusant apud Magistratû, ac postulant supplicia, Superante Verbo, & Veritate, cessant istæ accusationes. iuxta illud. Quis accusabit Electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condēnet? Ro. 8.

At ipsi uicerunt eum, per sanguinem Agni) Describuntur Arma militiæ nostræ aduersus Sathanam, & Impios. Sathan de ac usatione peccati coram Deo, expugnatur, & vincitur sanguine Agni, Christi, pro expiatione peccatorum nostrorum effuso, in prælio autem Angelorum, boni uicerunt malos, contumacia obstinatos, per sanguinem Agni, per absolutam obedientiam Christi erga Patrem, eius morte testatam. Phil. 2.

Et per sermonem testimonij sui) per doctrinam de vero Deo testantem de Persona & Officio Christi, quòd sit Deus & Homo: Rex & Sacerdos æternus, ruit totus Gentilismus, & Antichristianismus.

Ac dilexerunt animam suam, usq; ad mortem) Constantia, quæ in discrimen posuit quod habuit summum, & charissimum, Vitam, quam nec Sathan, nec tyranni poterant expugnare, tandem ipsi victi, & expugnati sunt.

Propterea letamini cœli, & qui habitatis in eis)
Angeli

Angeli & Sancti, ciues & domestici Dei, quorum conseruatio in cœlis est:

Væ habitatoribus terræ, & maris) reliquis extra Ecclesiam Gentibus, Gotthis, Vandalis &c. post conuersum Imperium.

Quia descendit Diabolus ad uos) exagitatus vos aduersus Ecclesiam, & conuersum Imperium, vsurus vos pro suis instrumētis.

Habens iram magnam) aduersus Deū, Christum, & Ecclesiam, de abrogato Gentilismo, & Idololatria. Eam iram exercuit per Gotthos.

Sciens, quòd modicum tempus habet) reliquū ad æternitatem, aut ad Iudicium, quo damnabitur ad æternas pœnas, pro sua aduersus Deum contumacia, aduersus Christum blasphemia, & aduersus Ecclesiam furore, vt eum expleat, conuictusq; fateatur suam damnationem iustam, satisq; demeritam esse. Modicum, intelligas collatione præter lapsi temporis à condito mundo, & porrò vsq; ad iudiciū, quod, aut sciat, aut nesciat, cogitat tamen, se ad pœnas maturuisse, vt quisq; scelerofus.

Postquàm uidit Draco) Sathan. quod proiectus esset in terram) post abrogatum Gentilismum.

Persecutus est Mulierem) Ecclesiam Iudaicam, de Paschate.

Quæ peperit Masculum) Christum, id est, veram catholicam, propheticam, & Apostolicam, ad differentiam Apostaticæ, titulariæ, & fucatæ Ecclesiæ Sophistarum, & Locustarum, quibus præsidet Apollyon, Angelus tartareus, qui profligauit, & excommunicauit verâ Ecclesiam propter verum Pascha transferendum.

At datæ sunt Mulieri, alæ duæ Aquilæ magnæ) Euangelium de Persona, & officio Christi, Pœnitentia, & Remissione peccatorum, quibus.

Vt uolaret in desertum) in Mundum vniuersum, omnium linguarum, & gentium,

In locum suum) sibi à Deo destinatum, post abrogatum Iudaismum, de Paschate vero, tempore Constantini magni, in quo mundo, omnium linguarum, & Gentium, tam amplè dispersa est, vt nullis nec tyrannis, nec Sathanæ ipsi, possibile sit eam extinguere, Etsi in vno loco persecutionem patitur, per alas aquilinas fugit, & auolat in alium.

Vbi alitur) Verbo, & Pane, secundum Animam & Corpus, iuxta veterem, nouumq; typum Israelis, & Turbæ in deserto, per Manna de cælo depluto, & per quinq; septemque panes pastæ miraculose.

Per tempus, tempora, & dimidium temporis) Iuxta destinatum tempus Bestiæ, quamdiu sæuiat,

sæuiat, Dan. 7. & 12. suprâ 11. Infra. 13. Quod si resoluas in Menses 42. aut 1260. dies oraculares, facient totidem annos: sumpto initio à fine gentilis quartæ Monarchiæ, ab occisione Martyrum Christi, & à selsione scelerati Apollyontis in templo Dei. Dan. 11. 2. Theff. 2. Donec ipsis in tartarum præcipitatis, Infr. 19. Ipsa Mulier, Ecclesia suis Aquilinis alis, subuolet in cælum, Christo obuiam. 1. Theff. 4. Matt. 24. Mala. 4.

A facie) è conspectu, præsentia, & diuexatione.

Serpentis) Draconis, Bestiæ, Apollyōtis &c.

Et eiecit Serpens post Mulierem, ex ore suo, aquam, tanquam flumen) Post conuersionem Imperij ad Christianismum, & abrogatum Gentilismum, Sathan excitauit excursionem, & grassationem reliquarum Gentium extra Imperium, vt Gotthorum, Vandalorum Hunnorum &c. Aut potius intelligas Sophistarum anathemata, & calumnias aduersus Orthodoxos, vt hæreticos extinguendos. quotquot se opponerēt Apollyonti.

Vt eam faceret rapi à flumine) vt Ecclesiam, cum Christiano Imperio extingueret per Gotthos Turcos, &c, quòd ex Ecclesiasticis, & prophanis historijs notissimum est.

Sed terra succurrit Mulieri, aperuitque os suum, atque absorbit flumen, quod eiecerat

Draco ex ore suo) Gotthorum, cæterarumq; Gentium grassationes, per bella dissipatæ, & extinctæ sunt. Aut Ecclesiæ persecutores paulatim morte succubuerunt, vt Maximinus, Iulianus apostata &c.

Iratu tandem Draco aduersus Mulierem, abiit) desinit, aliam intendit artem.

Vt faceret prælium) per Inquisitiones hæreticæ prauitatis, per anathemata & proscriptiones, per persecutiones & bella: quod prælium iam est vltimum & crudelissimū. Dan. 12. Matt. 24.

Cum reliquis de semine eius) cum veris christianis, & Euangelij professoribus hoc extremo tempore.

Qui custodiunt mandata Dei) de solo audiendo Christo, iuxta eius Euangelium, & Sacramentorum eius institutionem, qui recusant obedientiam, & obseruationem Apollyontis, eiusq; Locustarum, erga doctrinas dæmoniorum.

Et habent Testimonium Iesu Christi) Veram Euangelij doctrinam, de Persona, & Officio Iesu Christi, quòd sit Deus & Homo: Rex & Sacerdos æternus, & absolutus, qui solus sit audiendus, Non Apollyon cum suis Locustis, de doctrinis dæmoniorum. Propter quod testimonium, tandem Bestia ista infernalis, Apollyon, occidet Testes Iesu Chri-

su Christi, cū finierint testimoniū suū, post
1260. dies oraculares, vt indicatum est su-
pra II. Porro, quæ propriè ea Bestia sit, se-
quitur eius descriptio in capite proximo.

CAPVT XIII.

*De Bestia, quarta Monarchia,
de tempore prioris, & postero-
ris eius dominationis.*

ET)transitiuè à Mulieris, ad Bestiæ de-
scriptionem.

Steti super arenam maris) iuxta vaticinium
Danielis, de quatuor Bestijs. cap. 7. Post Di-
luuium aquæ exortis. Mare, mundus est,
quod quiescere non potest, quod exagitat
tumultuarius Spiritus, in quo ludit pro li-
bidine Leuiathan, Draco, Balena. Behe-
moth, magnos multosq; fluctus ad littora
voluit.

Ac uidi Bestiam) illam quartā Dan. 7. quar-
tæ Monarchiæ, immanem & ferocem.

Ex mari ascendentem) in mundo exortam,
post tres illas superiores.

Habentem capita septem) conformem cum
Dracone. suprà 12. quòd Draco per Idololo

triam & immanitatem, se planè in eo personauerat. Descriptio, indicat eius proprietatem, & differentiam, à cæterijs Bestijs monarchicis. Capita septem, aut septem Colles sunt, aut Septenuiratus, seu septem ordines gubernationis, vt fuerunt, Reges, Consules, Decem viri, Dictatores. Triumviri, Cæsares, & Imperatores externi.

Cornua decem) regna confœderata, seu prouincias consulares.

Super cornua eius, decem diademata) regia insignia, pro dignitate & maiestate imperij.

Et super capita eius nomen blasphemie) totum Imperium, per singula capita, seu prouincias, & regna, erat idololatricum: aut ipsi Cæsares sibi arrogabant diuinos honores. adorationes ad suas statuas, quæ est mera aduersus verum Deum blasphemia. Omnia confederata regna, tota Bestia habet vnum blasphemum nomen, quod dicatur Romana.

Bestia, quam uidi, similis erat Pardo: pedes eius ut Ursi, Os eius, ut os Leonis) Quarta hæc Bestia, superiores tres Bestias, aut saltem ipsarum partes, immanitatemque in se contraxit, & superat. Pardum, Græciam: Ursum, Persiam: & Leonem, Babyloniam.

Ac dedit illi Draco potentiam suam, thronumque suum, potestatem magnam) Romanum imperium in suo gentilismo erat planè Idololatricum,

tricum, aduersus Deum blasphemum, plusquam superiores tres Monarchiæ, quæ aliquo modo agnouerunt Deum, concesseruntque Dei cultum. Hoc autem Imperium Sathan penitus occupauit, totamque vim suam aduersus Deum exercuit, mutando tempora, & leges, conterendo sanctos altissimi, Dan. 7. Instituendo nouum kalendarium, abrogando totum Iudaismum.

Et uidi unum de capitibus eius lethaliter uulneratum) Monarchiam Cæsaream, in C. Iulio Cæsare occiso.

Sed plaga mortis eius curata est) in suffecto Octauiano Augusto.

Et admiratio fuit in tota terra post Bestiam) Omnium terrarum Gentes, admiratæ sunt, quasi diuinas vires, & successus Romani imperij, de victoria, & pace uniuersali, sub Octauiano Augusto, non eius, sed Christi causa, eo tempore nati.

Adoraueruntque Draconem) Sathanam, susceperunt religionem, idololatriam potius, Romanam, quasi præstantissimam, & imperij sospitaticem.

Qui dedit potestatem Bestiæ) ex effectu colligentes causam, vera religio est fortunata, Leui. 26. Sed vera ecclesia plerumque est calamitosa. Ergo fallit collectio, seu argumetatio.

Adoraueruntque Bestiam) Monarchiam Romanam, quasi diuinam à Deo constitutam, & fortunatam, adorauerunt Cæsarium statuas,

Dicentes) communi consensu.

Quis similis est Bestiæ.) prædicatū soli Deo congruum. Deus quis similis tibi? Macabai? Michael? Quis sicut Deus?

Quis poterit pugnare cum illa?) Ratio est prædicati, per demonstrationem. Romanū Imperium est fortunatum, vincit & superat omnes Gentes: ergo est diuinum. Ipsi imperatores sunt Diui. Non sequitur. Romani sunt fortunati, non respectu suæ religionis, sed respectu permissionis Dei. Sic nunc. Turca, Tartarus, Moscouius. & Apollyon sunt fortunati.

Et datum est ei) à Dracone, permittente Deo.

Os loquens magna, & blasphemias) aduersus Deum. Dan. 7. de suis tutelaribus Dijs in Gentilismo.

Ac data est ei potestas faciendi) à Deo concessum, & permissum Imperium, in priori sua dominatione gentili.

Menses quadraginta duos) quos Gabriel Danieli vocat tempus, tempora, & dimidium, totidem quot Gentibus, calcandi ciuitatē sanctam Ierusalem suprā II. Eidem scilicet Bestiæ, sed in posteriore eius dominatione, diuersoq; sumpto initio & fine huius, & illius. Huius initio, à primo eius capite, seu Rege, per Gotthos occiso. Romaq; superata, destructa, & direpta. Atq;

Atq; aperuit os suum, ad blasphemiam aduersus Deum) deicitis cæteris Gentibus, ipsarumq; religionibus deuastatis, & ad suam religionem coactis. Vt vnã vniuersalem religionem cum Imperio constituerent Romani, cœperunt & Iudeorum religionem abrogare, eosque cogere ad suam: extenuabant, conuitijsq; impetebant verum Deũ Israelis, vt inermem ad ipsorum tutelam.

Vt blasphemaret nomen eius) Verbum, Legem, appellationes, Dei Israelis.

Ac Tabernaculum eius) totum cultum, sacrificia, & ceremonias, vt olim Sennacherib, & Rabaces tempore Iesaiæ, & Iehiskiaæ.

Et eos qui in cœlo habitant) Deum Israelis, prophetas, Sacerdotes, Reges, & pios.

Datumq; est illi) à Deo concessum, & permissum, non casu factum.

Bellum facere cum sanctis) cum populo Iudaico, cum filijs Israel, sibi à Gentibus segregatis.

Ac uincere eos) abrogare totum Iudaismum, ne sint amplius populus Dei, tempore Vespasiani & Titi. Et porro in nascentẽ Ecclesiam per 12. Persecutiones grassari.

Et data est illi potestas in omnem tribum, populum, linguam & Gentem) Est periphrasis Monarchiæ. concessum est Romanis Imperiũ vniuersale.

Adorabuntq; eam) Iohannis respectu, in futuro, nobis in præterito. Conferent illi diuinos honores, vt à deo instituto, & gubernato. Romani cogent omnes ad suam religionem.

Omnes qui inhabitant terram) Omnes terrestres, ad differentiam Ecclesiæ piorū, quorum conuersatio in cœlis est, quos nullis pœnis, & plagis, totis 12. persecutionibus cogere non poterāt. cæteri, alioqui idololatræ, se dediderunt.

Quorum non sunt scripta nomina in libro uitæ Agni) qui sua nomina nō dederunt Christo.

Qui occisus est ab initio mundi) typicè in Anno paschali, statim in Paradiso, de cuius pelibus contacti & vestiti sunt primi Parentes, Gen. 3. donec ipsemet incarnatus, immolatus est hostia pro peccatis totius mundi. Et porro hypotheticè a Habel vsq; ad finem mūdi, occiditur in suis sanctis, cuius passionis reliquias, inquit se Paulus, pro sua parte complere in suo corpore, Coloss. 1. Idq; à Serpente, Dracone, & Bestia, morsu in calcaneum, donec ipse vicissim contemnerat eorum capita, iudicio extremo.

Si quis habet aurem, audiat) Attentionis nota est ad Romanos Monarchas, Ecclesiam Christi sæuisimè persequentes, cum talionis

nis cautione, ad sui deuastationem.

Qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem uadit: Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi) per Gotthos, Vádalos, Longobardos, Hunnos, pari crudelitate. Atq; ita priorem Bestiæ dominationem abrogari.

Hic est patientia, & fides sanctorum) Hic, in his 12. persecutionibus Romanorum, & vicissim Gotthorum grassationibus, apparebit qui patientur, & fidem præstent Christo. Tunc erunt crudelissimæ persecutiones in fine Romani imperij, per Gotthos deuastati.

Deinde uidi aliam Bestiam) Transitio est ad alteram formam, posterioris dominationis Romani imperij. Bestia hæc à Daniele dicitur cornu paruum, Dan. 7. Rex proteruius, cap. II. Suprà cap. 8. Stella lapsa, Absinthium, ca. 8. Apollyonus, Angeli abyssi, rex locustarum: cap. II. Bestia ex abyssso quæ occidet Testes Christi, cap. 17. Babylon, Meritrix, Bestiæ inequitans: cap. 18. Babylon ruens, Ciuitas magna: cap. 19. Bestia, cum suo falso Propheta. Zacha. Pastor stultus. Iess. II. Impius. 2. Theff. 2. Homo peccati, Filius perditionis. Matt. 24. Pseudochristus: I. Iohan. 2. Antichristus. Suo nomine veniens Iohan. 5. Fur, Latro, Lupus rapax. 10. Lupus sub ouina pelle, Matt. 7.

Ascendentem ex terra) ex abyſſo, ex puteo tartareo, ex infernis: non ex ſuperis, è cœlo à Deo. *Ascendentem*, id eſt, vires ſumentē.

Habebat cornua duo) duo imperia, in Eccleſia, & Curia: vtrumq; gladium, & Ius Pontificium & Cæſareum.

Similia Agni) Chriſti, Rex & Sacerdos vniuerſalis, vicarius Chriſti, Vice paſtor, vſurpans vtriq; Claves regni cœlorum, ligandi & ſoluendi. Per quem Reges regnant, & Sacerdotes templa gubernant.

Sed loquitur ut Draco) doctrinas demoniorum, in hypocrifi loquens mendacium, traditiones hominum. 2. Theſſ. 2.

Ac poteſtatem prioris Beſtiæ omnem fecit) ſibi ſubiugando populos, vt caput Eccleſiæ, & Imperij.

In conſpectu eius (dum adhuc prioris Imperij forma viguit, tempore Conſtantini magni nondum vaſtata per Gotthos, &c.

Et facit terram eiufq; habitatores adorare beſtiam priorem) reſtituit Romanum Imperiū, è Gotthis deuaſtatum, vt diuinum. *Cuius curata eſt plaga mortis*) cuius ruinas reſtituit, poſt Gotthos, æquè vt Octavianus Auguſtus, occiſo Iulio Cæſare, reſtituitq; idololatricos cultus, æquè vt gentiles.

Et facit ſigna magna) mendacia, perſuaſiones 2. Theſſ. 2.

Ita, ut ignem faceret descendere de cœlo in terram, in conspectu hominum) iuxta exemplum Habelis, Mosi, & Eliæ, quorum sacrificia incendit ignis de cœlo à Deo lapsus, certo signo, eorum sacrificia à Deo approbari, & iustam habere causam. Eadem persuasio fuit de sacrificio Missæ, quod rogat acceptari, vt sacrificium Habelis. Alij intelligunt anathemata.

Et seducit habitantes in terra) terrestres, impios.

Per illa signa) mendacia, mendaces persuasiones & confirmationes de Sacrificio Missæ, omnium doctrinarum dæmoniorum illusiones, & præstigia.

Quæ data sunt illi) à Deo irato concessa, & permessa. Dan. II.

Vt faceret in conspectu Bestiæ) prioris, quæ per crudelissimas 12. persecutiones contriuit sanctos Dei, vt qui nolebant credere veritati ad salutem, credant mendacio ad perditionem, Rom. I. 2. Thess. 2.

Dicens habitatoribus terræ) Imperatoribus sibi subiugis, vt Iustiniano, Phocæ. &c.

Vt faciant imaginem Bestiæ) certâ formâ Imperij Romani, vt Apollyon sit Caput Ecclesiæ, & Imperij, cæteri sint feudarij, vasalli, & membra, iuxta Leges Iustinianas, & decret.

Quæ habet plagam gladij, & reuixit) peri-

phrasis est prioris imperij, per Apollyontem, regem locustarum, restituti, post deuationem Gotthorum &c.

Ac datum est illi) à Deo irato permissum.

Vt daret spiritum imagini Bestiæ) efficaciam gubernationis secundum præscriptas Leges Iustinianas, & Decreta pontificia.

Vtq; loquatur imago Bestiæ) vt mandet, & remandet: Leges figat, & refigat. vt spiret suum, non Dei spiritum, vt loquatur sua, nõ Dei verba, sed doctrinas dæmoniorum in hypocrisi, mendacium.

Et faciet, ut quicumq; non adorauerint imaginem Bestiæ, occidantur) Qui imperium Romanum Apollyontis non venerati fuerint, vt diuinum, & catholicum, in omnibus suis constitutionibus, iuxta suas Leges, & Decreta, tum in Ecclesiasticis, tum in Politicis, occidantur vt hæretici, apostatæ, & rebelles.

Ac facit) per occisionem extremo effectu, irato Deo permittente.

Omnes paruos, & magnos: diuites & pauperes: liberos & seruos) cuiuscunq; ordinis, conditionis, & status homines ecclesiasticos, scholasticos, & politicos.

Accipere characterem in manu sua dextera) externum signum in actione, & vita, in eius verba iurare.

Aut in frontibus suis) in publica, & clara professione.

fessione, se esse de familia Bestiæ.

Et ne quis posset emere, aut uendere) inter homines versari, in publico ministerio, Eccle. & politico. Aut pro Christiano censerì.

Nisi qui habebat caractèrem) externam notam reformationem. *aut nomen Bestiæ*) professionem.

Aut numerũ nominis eius) literas nominis. Hæc est tribulatio ista. hæc sunt prodigia illa, quibus in errorem adducantur, etiam si fieri posset, Electi. Matt. 24. ideoq; subdit.

Hic est Sapia) Istos errores obseruare, cauere, auersari, & defugere, ne quis suscipiat caractèrem, nomen, & numerum Bestiæ, ne sit de eius familia: non est humanæ, sed diuinæ sapientiæ. Quo o qui tentarunt, interierunt, vt Saxones. Hæc omnia comprobatur veritas & experientia in effectu, his postremis temporibus. Omnes enim sunt de Apollyontis familia, eiusq; iurati, à summo, per gradus, vsq; ad intimum rusticum, & rusticanum pastorem, adeoq; & scholasticum: & econtra, ab infimo vsq; ad summũ Apollyontem.

Qui habet intellectum) numerandi per literas Ebræas, aut Græcas.

Computet numerum Bestiæ) per literas numerales, quæ Nomen, non Tempus, constituent. quod aliàs indicatum est.

Numerus enim hominis est) primarij, Romuli, vnde nomen trahit. Aut à Latino.

Numerus eius, sexcenti, sexaginta, sex) quem numerum, quæ literæ constituunt, ipsum est nomen Bestiæ, *𐄂𐄃𐄄𐄅* Romana. Aut *𐄂𐄃𐄄𐄅* Latinis; Vtrumq; nomen 666. constituit. Ergo Bestia illa est Romana, Apollyon iste est Latinus, ne quid animis diuagemur de alijs Bestijs, Turca, Tartaro, Moscouio, Græco, Persa, aut Babylonio. Non quòd iste numerus, eius tempus constituat, quod non conuenit cum superioribus. Dan. 12. qui ponit tempus, tempora, & dimidium. Ioan. supra 11. Menses 42. item dies 1260. oraculares, qui totidem annos constituunt. quod tempus Paulus 2. Thess. 2. incipit à fine gentilis quartæ Monarchiæ; deducitq; vsq; dùm destituatur glorioso aduētu Christi, in fine Mundi, iudicioq; extremo. Nisi fortassè intelligas hunc numerum de tempore, quamdiu Apollyon, Bestia fuerit, seu ad gubernacula quartæ Monarchiæ sederit. Tantum de tota quarta Bestia, de priorè, & posteriore eius dominatione, perpetua successione. Sequitur de Agno Zionio Christo, totoq; eius regno, vsq; ad finem mundi.

CAPVT XIII.

De Christi regno, usq; ad Iudicium extremum.

ET *uidi*) continuatiuè, & transitiuè.
Ecce) admiratiuè, per collationem
 Bestiæ & Agni.

Agnus) Christus, veteri typo per Agnum
 figuratus, quòd esset victima pro peccatis
 totius mundi.

Stans) expedite, & alacriter, post sui im-
 molationem, & resurrectionem.

Super montem Sion) vbi cœpit eius regnũ,
 euulgatumq; est Verbũ, & Lex regni eius.
 Iess. 2. Miche. 4. Matt. 28. Mar. 16. *Ite in mun-*
dum vniuersum, prædicate Euangelium.

Et cum eo, centum quadraginta quatuor milia)
 electorum, ex Israele, de quibus suprà cap.
 7. vt illa 7000. tempore Eliæ. iuxta librum
 Rabbi Samuelis.

Habentia nomen Patris eius) veri Dei.

Scriptum in frontibus suis) suprà. 7. baptiza-
 ti nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,
 Act. 1. Verum Deum, & Christum Saluato-
 rem suum liberè, & palàm profitentes.

Deinde *Et audiui Vocẽ*) Euangelij. vocem
 Dei.

De cælo) ab Angelis in annunciatione, & natiuitate Christi, A Deo Patre in Christi baptifino, in monte, dum clarificaretur, A Spiritu fancto è cœlis miffo in Apoftolos, & porrò per centum quadraginta quatuor millia electorum ex Ifraele, poftremò per omnium gentium populòs, linguafque fonantem.

Tanquam uocem aquarum multarum) Id eft Gentium, quæ sub cœlo funt. Act. 2.

Ac tanquam uocem tonitruui magni) feriam, & in uniuerfum de cœlo fonoram. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, faluus erit: qui uero non crediderit, damnabitur. Aliam tamen, quam quæ fuit Legis in Sinai. Ideo fubditur.

Et uocem audiui citharædorum, citharizantium citharis fuis) Vocem concinnam, & gratam, ex confonantia prophetarum & Apoftolorum, de Christo Deo & homine: Rege & Sacerdote æterno, non tumultuariam & confufaneam.

Canebantq; quasi canticum nouum) hætenus à condito mundo in terris non auditum, de incarnato, paffo, refufcitato, affumpto & regnante filio Dei Iefu Christo, ad dexterâ Dei Patris, Salvatore totius Mundi.

Ante thronum) Dei, totius diuinæ Trinitatis qui thronus maiestatis propriè tribuit Patri. Et

Et coram quatuor Animalibus) id est, Christo, cui soli illa quatuor competunt, vt incarnatio, immolatio, Resurrectio, & Ascensio. de quibus supra. 4.

Coramq; uiginti quatuor Senatoribus) Spiritus sancti instrumentis, & ministris, prophetis & Apostolis.

Ac nemo poterat discere canticum illud) Iesum appellare, Christum, Saluatorem mundi.

Nisi illa centum quadraginta quatuor millia) electorum, & signatorum ex Israele.

Qui empti sunt de terra) empti præcio magno, precioso sanguine Agni immolati, Iesu Christi, vt non sint amplius terrestres, sed cœlestes, adoptati filij, & hæredes Dei, per fidem in Christum. Iohan. i.

Hi sunt) sequitur descriptio Electorum.

Qui cum mulieribus non sunt inquinati) non sunt idololatræ, verum Deum colunt. Mulier, hîc in malâ partē, vt plerumq;, sumitur.

Virgines enim sunt) casti, pudici, & synceri sunt in fide, doctrina, & vita: soli Christo sponso, per fidem desponsati, & copulati. Ose. 2. 2. Cor. ii. Ephe. 5. Mysteriû hoc magnum est in Christo, & Ecclesia.

Hi sequuntur Agnum) Christum, in verbo, & fide, nouaq; obedientia, & confessione, vt indiuidui comites, vt oues suû Pastore.

Quocunq; ierit) per prædicationem Euan

gelij, vbiuis terrarum, semper enim pergit, donec peragrauerit totum mundum, per singulas regiones, & gentes.

Ipsi empti sunt ex hominibus) vt primogeniti, Deo destinati, ab infidelibus segregati, præcioso sanguine Iesu Christi redempti, & sanctificati, vt sint.

Primitiæ Deo, & Agno) vt ipsi soli seruiant, segregati, & sanctificati, iuxta typum primogenitorum Legis.

Et in ore eorum) in doctrina, & professione.

Non est inuentus dolus) megdacium, seductis, respectu Euangelij, quod est veritas Dei, Ioan. 8. 17. Iesa. 53.

Inculpabiles enim sunt ante thronum Dei) Nichil damnationis est in his, qui sunt in Christo Iesu. Iustificati gratis, per gratiam ipsius, pacem habemus coram Deo, per Christum. Fide purificauit eorum corda. Hæc de Electis ex Israele.

Deinde vidi Angelum medio cælo uolantem) Transitio est ministerij Euangelij à Iudæis ad Gentes, tempore Apostolorum, & sequentium, vsq; ad Constantinum Imperatorem conuersum. Medio cælo, id est, libere, & sine impedimento, vt aues, & nubes. Iesa. 60. Qui sunt hi, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas. Volantem, in vniuersum.

Haben-

Habentem Euangelium æternum) doctrinam de Iesu Christo, filio Dei incarnato, Rege, & Sacerdote æterno, absq; vlla mutatione, dum manet mundus.

Vt euangelizaret habitantibus in terra, omni genti, tribui, linguæ, & populo) iuxta mandatum Christi, Ite in mundum vniuersum, docete omnes Gentes, prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Matt. 28. Mar. 16.

Dicentem magna uoce) vnde quaq; sonora, In omnem terram exiuit sonus eorum, ipsi egressi, prædicauerunt vbiq;.

Timete Deum) abrogatis idololatrijs colite verum Deum.

Ac date illi honorem) quem alioqui vanis idolis exhibetis, reuerentiam, adorationẽ, inuocationem, & gratiarum actionem.

Quia uenit hora iudicij eius) tempus abrogandi idololatrias, eijciendi Sathanam, & regni Christi constituendi. Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foràs. Iohan. 12. Qui non crediderit, damnabitur.

Et adore eum, qui fecit cælum, & terram, mare, & fontes aquarum) Verum Deum, creatorem mundi. Dij, qui cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & sub cælo. Iere. 10. Hæc vox Angeli, seu ministerij Euangelij, personuit in toto Gentilismo, vsq; ad Coa

stantinum, habuitq; effectum, vt sequitur.

Et alius Angelus secutus est) vincente & superante Euangelio, ruente Gentilismo, tēpore Constantini.

Dicens) gratulanti, victrice, & triumphante voce.

Cecidit, cecidit Babylon ciuitas ista magna) Ruit gentilismus, eum omni idololatria, quæ primū cœpit in Babel, ac peruasit in omnes terras, per totas quatuor monarchias, atq; huc vsq; perdurauit.

Quia) à causa ruinæ.

De uino (iræ) fornicationis suæ potionauit omnes Gentes) effrenam, & dementitiam idololatriam propagauit per monarchias, in omnes Gentes, ita vt audeat se ferro, & flāma vero Deo, & Euangelio Christi furenter opponere per 12. persecuciones.

Et Tertius Angelus secutus est illos) duos superiores, nunc post reuelatum scelerosum istum Apollyonta, Regem locustarum, Angelum abyssi, sedentem in templo Dei, clarum supra Deum, & omne diuinum, alterā istam Bestiam, ad gubernacula quartæ monarchiæ sedentem, hoc tempore Euangelij, in mūdo vniuerso prædicandi, ante eius consummationem. Matt. 24.

Dicens uoce magna) in vniuersum sonora, per prædicationem Euangelij, & typographias.

Siquis

Si quis adorauerit Bestiam) istam posterio-
rem: de qua capite superiore, ex terra subor-
ta. Regem locustarum.

Et imaginem eius) iuxta præscriptam eius
formam, secundum Leges, & Decreta. aut
reformationem.

*Atq; acceperit charactèrem in fronte sua aut in
manu sua*) publica professione nota & actio-
ne, confessus fuerit se esse de eius familia.

Etiã hic bibet de uino iræ Dei) quod pene-
trabit omnes eius venas, neruos, ossa, & me-
dullas, totaq; viscera, corpus, animam, &
Spiritus.

Quod mistum est mero) forte, incalescens,
inebrians, & penettans.

In calice iræ ipsius) quem epotabunt om-
nes impij, fecesq; eius exugent, Psal. 75.

Et cruciabitur igne & sulphure) Auxesis est
æternarum, sæuissimarumq; pœnarum. ig-
nis sulphureus est vrentissimus.

In conspectu Angelorum sanctorum) quod au-
get cruciatus, palàm affici tormentis.

Et ante conspectum Agni) Christi, filij Dei, to-
tius mundi saluatoris, quem contempfit, &
blasphemauit, nunc habet seuerum, æter-
numq; Iudicem scelerisq; vindicem.

*Ac fumus tormenti eorum, ascendet in secu-
la seculorum*) in omnem æternitatem, præ-
ter omnem cessationem, aut intermis-

tionem, ignis eorum non extinguetur.
Iess. 66.

Nec habent requiem) occupatio est, de ulla cessatione, mutatione, aut intermissione, æternarum pœnarum.

Qui adorant Bestiam, & Imaginem eius, & si quis acceperit characterē nominis eius) Repetit certam & capitalem culpam infinitarum pœnarum. Quia sunt blasphemi in Filium Dei, Salvatorem mundi, qui obstinatè perdurant in familia Bestiæ, in doctrinis demoniorum: qui ruunt contra conscientiam, ac peccant in Spiritum sanctum, post Angeli huius admonitionem.

Hic) in extrema pugna & prælio aduersus Bestiam suprâ. II. infra. 16. 19.

Est patientia Sanctorum) in abdicatione Bestiæ, imaginis, & characteris, est patientia de tribulatione, persecutione, cruciatibus, & exilijs Sanctorum, soli Agno, Christo, eiusq; Euangelio adhærentium.

Hic) in fine Antichristianismi perspicuū erit.

Qui custodiunt mandata Dei) Patris de Filio. Hunc audite.

Et fidem Iesu) quam sunt ipsi pacti in Baptismo, abdicatis doctrinis dæmoniorum. neutrobiq; valebit in vtramq; partem simulatio: vtraq; pars postulat publicam, & claram

ram sui confessionem. Non est necesse, hæc prolixè explicando persequi, dum in promptu est experientia.

Et audiui uocem de cælo) uocem Dei, certâ & ratam, cui solidè fidamus.

Dicentem mihi) Iohanni, ne quis cogitet, à me, quasi homine, confictam.

Scribe) ut à Deo decretum, pari authoritate, cum tota sacra Scriptura.

Beati mortui) à Dracone, & Bestia occisi, ab Habel vsq;.

Qui in Domino) Christo, Deo & homine, totius mundi Salvatore, in vera eius fiducia, & confessione.

Moriuntur) occiduntur, aut alioqui obdormiunt.

A modo) ab hinc, à reuelato, glorificato, & in uniuersum prædicato Christo.

Certe) affirmatiuè, solidè, & constanter.

(inquit Spiritus) de cælo loquens, Deus ipse, Spiritus sanctus.

Ut requiescant à laboribus suis) Certum prædicatum, de piè in Christo mortuis, de toto indiuiduo, quòd requiescant, cessent, dormiant & ferietur: à laboribus suis, primùm, ab huius vitæ proprietatibus, & per accidens peccati à Deo irrogatis: Secundò à molestijs cruce, & persecutionibus, à Serpente, Dracone, & Bestia inflictis. De quibus suprâ cap. 6.

Opera autem illorum) huius vitæ actiones, & passiones, pro Christo, in Verbo & fide. *Sequuntur illos*) vt testimonia, apud posteros, totamq; Ecclesiã, vsq; ad tribunal Christi, secundum quæ Christus iudicabit, & & pronuntiabit eos iustos, Matt. 25.

Tantum, de toto regno Christi, vsque ad finem mundi, iudiciumq; extremum, cuius sequitur descriptio.

Et uidi) transitiuè, de iudicio extremo.

Eccè,) pro attentione, obseruatione, & consolatione.

Nubes candida) quæ erit Tribunal, Sedes, Solium, & Thronus maiestatis Christi, Da. 7. Matt. 25. 27. Luc. 22. Act. 1.

Et qui semper nubem sedit, similis erat Filio hominis) Christo, iuxta suam ipsius appellationem, & Dan. 7. Mystagogus Christi.

Habens in capite suo coronam auream) Insigne regium, quia est absolutus Rex & Monarcha totius mundi.

Et in manu sua falcem acutam) Symbolum Messis, typum iudicij extremi, ipsamq; acutam, expeditam, & strictam.

Et alius Angelus) Mystagogus Dei Patris. *Exiuit de Templo*) in quo colitur verus Deus.

Clamans uoce magna) seria & sonora.

Ad sedentem super nubem) Christum, qui est

est constitutus à Deo Iudex viuorū, & mortuorum. Act. 10. 16.

Mitte falcem tuam, & mete) Christus expectat mandatum Dei Patris ad iudicium, ideo inquit de die illo nemo scit, nisi solus Pater. Mar. 13.

Quia uenit tibi hora, ut metas) momentum, quod Pater posuit in sua solius potestate. Acto. 1.

Quoniam aruit Messis terræ) Mundus maturuit ad iudicium, ad sui mutationem. Numerus Electorum est impletus.

Et misit, qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, ac demessa est terra) Christus iudicabit mundum. De messe hac Christus ipse proposuit Parabolam. Matt. 13. in qua Angeli Messores congregabunt è regno Dei omnia scandala, Triticum autem congregabunt in horreum.

Et alius Angelus exiuit de Templo) ex iussu Patris. Templum, est piorum Ecclesia. 1. Corinth. 3. Transitio ad iudicium impiorum.

Quod est in cælo) Iam post resurrectionem, assumptionem, & glorificationem Electorum, cuius typus fuit Terrestre Templum Ierosolymis.

Habens & ipse falcem acutam) Angelus hic, est mystagogus Dei Patris, tradens iudicij potestatem Filio, Christo.

Et alius Angelus exiit de Altari) sub quo quiescunt interfectorum animæ, postulantes sui vindictam aduersus impios supra. 6.

Qui habebat potestatem super ignem) quo exuret totum Mundum, omnesq; impios igni inextinguibili.

Clamauitq; uoce magna) seria, seuera, & sonora aduersus omnes impios.

Ad illum, qui habebat falcem acutā) ad Christum, constitutum à Deo iudicem. *Dicens,*

Mitte falcem tuam acutam) Iudiciū seuerū.

Et uindemia botros terræ) Impios.

Quoniam maturæ sunt uuæ eius) Impij maturerunt ad æternas pœnas.

Et misit Angelus) Christus, aut eius Mystagogus.

Falcem suam acutam) Iudicium.

In terram) terrestres, impios.

Ac uindemiauit uineam terræ) Synagogam Sathanæ, gregem Locustarū, impios.

Misitq; in torcular iræ Dei magnum) Simile referatur ad similitum: signum, ad signatū. Torcular, est infernus, Magnū respectu contentorum impiorum à Cain usq;.

Et calcatum est torcular) iuxta vaticinium Iessa. 63. Calcaui eos in furore meo.

Extra ciuitatem) extra Ecclesiam sanctorum, spectante Deo, Christo, Electis, & omnibus Angelis.

Et

Et exiuit sanguis ex torculari) sanguis pro vino, quo sanguine sanctorum, vt vino, inebriata est Babylonica meretrix, totaꝫ; synagoga Sathanæ, à sanguine Habel iusti, vsq; ad sanguinem vltimi iusti. Mat. 24. Sanguis pro occisione, & homicidio, pœna talionis.

Vsq; ad frenos equorum) similitudo sumpta ab horrendissima, & maxima strage, & clade hostium in bello, inaudita.

Per mille sexcenta stadia) quæ faciunt ducenta miliaria Italica. 50. germanica, crudelissima, & inusitata stragis, vnde omnes volucres cœli, Corui, vorabunt vsq; ad saturitatem, infra. 19. Expendantur similia Torcularis, & Stragis bellicæ, quæ pingunt extremi iudicij, æternarumq; pœnarum imaginem, & seueritatem.

Haëtenus de tribus Imaginibus, Mulieris, Bestiæ, & Agni, quæ pingunt formam, & fortunam Ecclesiæ, vsq; ad finem Mundi, interpositæ inter septimam vltimam Tubam, eiusque effectum, tertium Væ,
 quod sequitur per septem
 phialas iræ Dei, per
 7. angelos effusas.

Transitio, & preparatio ad sequentia.

ET uidi)ocularis, non auritus testis. Attentionio.

Aliud signum) ad suum signatum, sua successione, & tempore exequendum. Propositio.

In cælo) à Deo, in Ecclesia.

Magnum) secundū suas species quātitatis.

Et mirabile) Ergo diligenter obseruandū.

Angelos septem) est narratio signi, & propositio ad eius explicationis narrationem, à specie & forma.

Habentes septem plagas) iræ Dei, tertiū post septimam Tubam, aduersus Bestiam, pro admonitione pœnitentiæ, in tempore gratiæ, ad cautionem æternæ iræ Dei, ante Diluuium ignis, & submersionem Bestiæ in stagno tartareo, vt Pharaonis in mari rubro, antea per 10. plagas admoniti.

Nouissimas) in hoc tempore gratiæ, ante iudicium extremum, finemq; mundi, ne incusent impij Deum de præcipitantia, & captiositate in perniciem, vt declaret Deus suā longanimitatem, testeturque se nolle mortem impiorum, quin ipsimet conuicti veritate,

tate, fateantur suam damnationem esse iustam, & satis, satisq; demeritam.

Quoniam in his consummatur ira Dei) Ratio, quare sint nouissimæ, quòd per has plagas consummabitur ira Dei, ex qua permisit Apollyonta ex tartaro prodire, puteum abyssi aperire, agmen Locustarum profilire, & grassari: scelerosum istum hominem peccati in Templo Dei sedere, supra Deum extolli, blasphemio ore aduersus Deum loqui, cuius iræ Dei facta est decisio ad tempus, tempora & dimidium, Dan. 11. 12. 2. Thess. 2. supra 11. quæ faciunt Menses 42. Aut dies, aut annos 1260. sumpto initio à fine quartæ Monarchiæ gentilis. 2. The. 2. De qua supputatione, supra cap. 11. 12. Cuius decisionis hæc est consummatio, per has 7. plagas.

Et) continuatiuè cum superioribus.

Vidi) ocularis testis.

Tanquam mare uitreum) iuxta typum Maris Rubri, quod per Mosen diuisum, stetit instar muri vitrei & perspicacis, in quo submersus Pharao cum suis natabat.

Mistum igni) cum differentia, & disparitate, ex collatione elementorum, aquæ & ignis, illud erat aqueum, hoc erit igneum, in quo Deus demerget Sathan cum Bestia, & omnibus impijs. Quantum superat ignis aquam, tantum superabit poena in-

fernalis æterna, temperalem: ideoq; inquit Christus Matt. 18. Qui offendit pusillos, præstaret ei, vt suspensa à collo eius mola asinaria, demergatur in profundum maris.

Et) ab altera parte vidi.

*Eos qui uicerunt Bestiam, & imaginem, chara-
steremq; eius*) Ecclesiam triumphantem invita futura, post iudicium, vt tunc Ecclesia Israelis. Qui uicerunt, cum huius vitæ discrimine: Bestiam, Antichristum, imaginem, constitutionem regni, characteremq; eius, externam notam, & professionem, quòd noluerunt esse de eius familia, ideoq; sustinuerunt, & peruicerunt Bestiæ prælia, persecutiones, & tribulationes, exilia, & varia tormenta. Eos vidi.

Stantes) quasi lætos victores Bestiæ, vt Israel, Pharaonis.

Super mare uitreum) igne mistum, in quo submersa nabit Bestia, cum tota sua familia: volupè spectantes hostes superatos.

Habentes citharas Dei) diuinæ laudis, diuina & spiritualia instrumenta, non humana.

Cantabant canticum Mosi, serui Dei) Pro simili redemptione, Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & equitem proiecit in mare. Exod. 15.

Et canticum Agni) Christi, Ose. 13. Ero mors tua, ô mors, ero morsus tuus inferne. Absorpta

forpta est mors in victoria, Vbi est mors vi-
 ctoria tua: vbi est mors stimulus tuus? Sti-
 mulus autem mortis peccatum est. vis pec-
 cati Lex. Deo autem gratia, qui dedit nobis
 victoriam per Dominum nostrum Iesum
 Christum. i. Cor. 15.

Magna) heroica, præstantia, omnem mag-
 nitudinem hostium superantia, planè di-
 uina,

Et mirabilia) omnem humanæ rationis ca-
 ptum superantia.

Sunt opera tua) Creationis, Iustificationis,
 & Redemptionis, per solum verbū, per ex-
 tremam diuinitatis tuæ exinanitionem: &
 per illustrissimam gloriam, & maiestatem
 tuam.

Domine Deus) Ihoua elohim, Deus vntri-
 ne, vetus, & vera appellatio Dei est, Chri-
 sto, totiq; diuinæ Trinitati communis.

Omnipotens) ratio est, omnium magnorū,
 & mirabilium operum Dei. epitheton soli
 Deo congruū includens, & complectens
 omnia appellatiua Dei.

Iustæ & veræ sunt viæ tuæ) non abuteris om-
 nipotentia tua, nulli facis iniuriam, habes
 actionum tuarum istas æquas, & veras ra-
 tiones.

Rex sanctorum) tibi fideiū, non locustarū.

Quis non timeret te Domine) coleret., & ve-
 neraretur.

Et magnificaret nomē tuū?) magnificè prædicaret, laudaret, gratias ageret, glorificaret.

Quia solus sanctus es) ab iniquitate alienus, absolutè, nos respectiuè.

Quoniam omnes Gentes uenient, & adorabunt coram te) Iess. 66. Quotquot sunt extra Ecclesiā, volentes nolentes agnoscent te pro Rege suo, hīc conuicti per Euangelium, ibi quando sederis in Solio maiestatis tuæ.

Quoniam iudicia tua manifesta sunt) Irrefragabilia sunt iura, omniūq; controuersiarū decisiones tuæ, ab omnib⁹ approbatæ. Ita ut etiā damnati dicant. Iustus es Domine, & rectū iudiciū tuum. Hæc cohærebant cū superioribus. Sequitur trāsitus, & præparatio ad tertiū, vltimumq; Væ, effusionem septē phialarum seu plagarum iræ Dei, post septimā, vltimamq; Tubam, effectus vltimi Euangelij, ante consummationem, per accidens, respectu impiorum rebellantium.

Post hæc) interposita, inter septimam Tubam, eiusq; effectum.

Ecce) illud magnum, & mirabile signum.

Apertum est Templum tabernaculi testimonij Dei, in cælo.) Est effectus prædicati Euangelij vltimi, per se. Per Euangelium aperitur, & cognoscitur Christus, verum Dei Templū, in quo habitat, & colitur Deus, in quo habemus gratiæ, & beneuolentiæ Dei testimonia,

monia. In cœlo, id est, Ecclesia, in qua est illud Templum Dei, Christus.

Et exierunt septem Angeli) ministri Dei, tūc spirituales, nunc corporales, vtrobiq; à Spiritu Dei agitati, septem, propter diuersos effectus, certa scelera taxantes.

Habentes septem plagas) vltimi Væ, effectus Euangelij per accidens, ratione impiorum tumultuantium. Septem, diuersas plagas, castigationes ad emendationē, antequam veniat Dominus, & percutiat terram æterno anathemate, submergatq; Pharaonem, Apollyontem, cum suo Locustarum examine, seu agmine, in mare igneum.

E Templo) à Deo, Christo, causante Euangelio: non casu, aut proprio, priuatoq; motu. *Vestiti lino, mūdo et fulgido*) Ex vestitu, animi abito describitur, cādidē affecti, & illustres.

Præcincti circa pectora zonis aureis) militari bus insignijs, heroico animo præstantes, & aduersus Bestiā, Apollyontemq; pugnaces, ad irā Dei effundendā strenui. Confer signū, ad signatum, inuenies veritatem.

Et unum ex quatuor Animalibus, dedit septem Angelis, septem phialas aureas, iræ Dei plenas, uiuentis in secula seculorū) Quatuor Animalia throni Dei. Ezech. i. sup. 4. Soli Christo congruunt; figurantq; quatuor capita Euāgelicę doctrine, de Christi Persona, & officio, de eius

Incarnatione, Morte, Resurrectione, & Ascensione: de humanitate & diuinitate personæ: de Sacerdotio, & Regno Officij. Quòd disertè inquit, vnum de animalibus, non simul quatuor, dedisse phialas, significat, Antichristum non negare totum Euangelium, aut eius capita, incarnationem, resurrectionem, & ascensionem, sed motem, id est, satisfactionem pro peccatis Mundi, per mortem Christi factam, assuendo humana merita, quæ complectuntur omnes doctrinas dæmoniorum. Illud vnum animal, illud vnum caput Euangelicæ doctrinæ, dat septem Phialas iræ Dei, dat certum argumentum multipliciter castigandi Apollyontem, de doctrinis dæmoniorum aduersus Mortem, & Meritum Christi, reuelandi iram Dei de cælo, super hanc impietatem, & iniusticiam hominû. Rom. i. Attamen ipsæ phialæ sunt aureæ, id est, sacræ: Aut per verbum Euangelij effundunt eam iram Dei, non ex craneo frenetici cerebri. Quod autem inquit, iram Dei viuentis in secula seculorum, significat iram hanc fore perpetuam, quamdiu viuat Deus, in omnem æternitatem, nisi iam per pœnitentiam declinetur, sed si per obstinationem inflammetur. Conferrem ad experientiam.

Et repletum est Templum fumo, à maiestate Dei, virtuteq; eius) Iuxta typum typici templi, tempore

tempore Mofi, & Salomonis. Exod. 16. 34. 40. Leuit. 16, Nume. 9. 16. Reg. 8. Ieff. 6. fignificando præfentiam maieltatis, & operationis Dei. Ita, Templum Dei archetypicum, noftri temporis Ecclefia piorum, repleta eft fumo Spiritus maieltatis, & operationis Dei, qui dat plenũ effectum Euangelio.

Et nemo poterat introire in Templum) nemo potelt folidè credere in Chriftum, & fe affociare veræ Ecclefie, atq; faluari.

Nifi consummarentur feptem plage, feptem Angelorum) nifi fit perfufus his phialis iræ Dei, caftigatus de peccato Apollyontis aduerfus Chriftum. Aut, ingreffus in æternum templum Dei in cœlo, ad æternam contemplationem & cultum Dei, non patebit, nifi finitis his plagis, poft caftigatum, vltumq; Apollyontem. Quæ quia iam plurima fui partæ funt effufæ, & finitæ, vt patebit in ipfarum explicacione, capite fequente, certũ eft, regnum Dei eſſe pro foribus. Quod quæ que numeretur inter certa figna, proximè ante finem mundi præcedentia.

CAPVT XVI.

*De effusione septem phialarum
ira Dei.*

ET audiui uocem magnam è Templo) Vocè
Dei, seriam, sonoram, grauem, & ira-
cundam. qui est in suo Templo, Christo &
Ecclesia.

Dicentem septem Angelis) ministris ad hoc
destinatis, ecclesiasticis, & politicis.

Ite) prodite in publicum aduersus Apol-
lyontem.

Effundite septem phialas iræ Dei) multiua-
rias plagas, non stillate tantum, sed effun-
dite tota mole, & multitudine.

In terram) terrestres, in Bestiam, Apollyon-
tem, eiusq; familiam, agmen locustarum.

I. Abijt primus Angelus) ex ordine plagarum.

Effuditq; phialam suam in terram (Euangeliū
arguit primū terrestria, nō cęlestia sapien-
tes, vulgus antichristianę familie, tum cleri-
cos, tum laicos, intelligas grassationem ru-
sticorum.

Et factum est ulcus malū et noxium in homines)
Primus effectus est Tubę Euágelicę per acci-
dens, Vlcus malę conscientię, & cōpunctio-
nis est, cuius nisi accedat medela, extinguit
hominem

hominē. vt in die Pentecostes, sibi male conscijs de homicidio Christi. Ita hîc, de cōtempto, & conculcato merito, morte & sanguine Iesu Christi, assutis meritis humanis, non in quibusuis, sed in ijs.

Qui habebant characterem Bestiæ, eiusq; imaginem adorabant) Differentia & periphraſis est familiæ Bestiæ antichristianæ, de qua supra 13. 14. Et eorum, qui per inquisitores adacti, pacis causa admittunt conciliationem cum Apollyonte.

Secundus Angelus effudit phialam suã in Mare) Euangelium secunda vice arguit totū tempestuosum, procellosum, & tumultuosum imperiū, omnesq; eius status, & ordines, vt impiū, à fide, & Christianismo degenerum.

II.

Et factus est sanguis, tanquã mortui) Eius plaga facta est sanguis, hoc est, bella intestina, & externa, propter eius aduersus Euangelium obstinationē & persecutiones. Et quāuis impium imperium non est penitus sanguine, & bellis extinctum, tamen reputatū est mortuum, obstinatum, & à vitali spiritu Dei destitutum, dum contra conscientiam manifestam relucētis Euangelij, veritatem oppugnat.

Et omnis anima uiuens, mortua est, in Mari) Omnes ordines, status, & membra imperij antichristiani, manentia in consensu, &

& obstinatione aduersus Euangelium, etiam si corpore uiuant, coram Deo tamen mortua sunt, Spiritu Dei destituta, morti æternæ destinata. quæ suum esse, & uiuere habent in Mari, in imperio Antichristiano, ut pisces in Mari.

III.

Tertius Angelus effudit phialam suam in Flumina, & Fontes aquarum) Euangelium huius extremi temporis, sparsum & diuulgatum extra Imperium, in cætera confœderata regna, prouincias, & principatus diuersarum linguarum, & populorum: arguens impietatem Antichristianismi, castigans idololatrias, & doctrinas dæmoniorum, ideoque persequens, & occidens ministros Euangelij.

Facta sunt sanguis) Iure talionis sustinuerunt etiam sua diuersa bella, tumultus, incursiones, & grassationes intestinas, & externas.

Et audiui Angelum Aquarum) Angelus hic plerumq; collectiuum est, pro toto ministerio, & ministris Euangelij, id est, concionatores prouinciarum.

Dicentem) iustas causas & rationes bellorū nō per contingentias, aut constellationes.

Iustus es Domine, qui es, quiq; fuisti, & sanatus es, quòd hæc iudicasti) Bella prouinciarū post illustratum, impugnatumq; Euangelium, facta sunt & fiunt, non ex contingentijs,

eijs, aut constellationibus, sed ex iusto Dei iudicio, propter certas causas, & culpas.

Quia sanguinem sanctorum, & prophetarum effuderunt) Est causa & culpa omnium sceleratissima, sanctos, pios, probos, innoxios euangelij professores, Christo fideles, item, & ipsos concionatores, Euangelij ministros, candidè adfectos, vt sceleratos, & nefarios cæde & sanguine persequi, est culpa multo sanguine vindicanda.

Idco sanguinem dedisti eis bibere) quia sanguinem suum vicissim iure talionis biberunt, & balla passi sunt.

Digni enim sunt) Lege talionis, sua ipsorū culpa. nihil est, quod querantur de iniuria, quamuis non commeruerint de ijs, qui bella inferunt, Dominus pro suo more sceleratos castigat.

Et audiui alterum Angelum ex Altari) sub quo quiescunt piorum animæ, propter Euangelium Christi interfectorum. Suprà. 6.

Dicentem) approbantem Dei iudicia ac damnatione.

Etiã, Domine Deus omnipotens) Eugè, benè factum abs te Domine Deus omnipotens, qui præter piorum adminicula, vindictam potes sumere de Euangelij tui, eiusq; ministrorum hostibus.

Vera, & iusta sunt iudicia tua) Tu nulli facis

iniuriam, dum nos vindicans, ipsos punis.

III.

Et quartus Angelus effudit phialam suam in Sölem) Quarta plaga tertij Væ, ex effectu septimæ tubæ euangelicæ, per accidens sequitur in hac forma. Sol iusticiæ, Christus ipse est, in doctrina iustificationis, qui ex fumo putei tartarei, quem aperuit Stella ista è cælo lapsa, obscuratus est hæctenus, per assuta, & offusa merita humana, quasi necessaria salutis adminicula, vnde profiliijt totum tartareum agmen locustarum, doctrinarum dæmoniorum. Sup. 9. Eum obscuratum Solē, doctrinā iustificationis. Per solum meritū Christi, iam repurgat Angelus ministeriū Euangelij, & restituit ad pristinū suū splendorem, nempe, nos sola Fide Iesu Christi iustificari, absq; operibus Legis, ipsis tamen, vt fructib⁹ indiuiduè cōcomitatibus. Christus se totum, secundum personam & officium suum, complectitur, quod sit Deus & Homo, Rex & Sacerdos, & per hæc, iusticia, sapientia, lux, vita & gloria nostra.

Et datū est) à Deo operāte Spiritu sancto.

illi) Angelo, seu toti ministerio, & ministris Euangelij.

Æstu affligere) acriter taxare, arguere, reos agere, diuino æstu, ardore, & spiritu corripere.

Homines) Meritorios, operum iusticiarios, antichristianos, locustas, Ayollyyon-

tis familiam, Sophistas.

Per ignem) per Dei iram, seueritatem, & æternæ damnationis intentationem, nisi resipiscant: vt olim Prophætæ, Baptista, Christus & Apostoli falsos prophetas, & Pharisæos acriter corripiebant.

Et æstuauerunt homines æstu magno) Est effectus Euangelij per accidens, ab aduersa parte. Quotquot sunt de Apollyontis familia, taxati de falsa doctrina iustificationis, vertuntur in rabiem, furibundè excandescunt, vehementer æstuant, & quasi malo genio correpti insaniunt, tumultuantur, conuicia regerunt, & cumulant.

Et blasphemauerunt nomen Dei) Verbū Dei, euangelium Christi calumniantur, malitiosè interpretantur, appellant hæresim, doctrinam Sathanæ, seductionem, errores, phantasinata, anathemata, vt olim Pharisei in faciem Christi, Iohan. 8. Luc. 11.

Habentis potestatem super plagas has) qui ex iusta sua ira, dat euangelij sui ministris hæc corripiendi potestatem, affectum, animū, ardorem & effectum aduersus potestates tenebrarum, Apollyontis familiam, aduersus quā, si personas spectes, et conferas, non auderent hiscere, aut mutire.

Neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam) tantum abest, vt corrigantur, vt glorificent Deum, de veritatis illustratione

quin vsq; magis indurentur, & fiant obstinatiores, quemadmodum hodierna comprobata experientia, & huius yaticinij veritas. nulla ergo conciliatio speranda est.

Quintus Angelus effudit phialam suam super Solium Bestiæ) Ministerium Euangelij corripit, & castigat totum Imperium, totamq; eius consensionem, & constitutionem, per omnes Electores, consiliarios, status, & membra, quòd foueat, & defendat Antichristum Apollyontè, quòd suscipiat eius patrociniū, vt Brachium seculare, quòd sit idololatricum Antichristianissimum, & ab utatur suo officio. Aut intelligas Romæ occupationem, & direptionem, anno Christi, 1527. factam. ideoq; vicissim.

Factum est regnum eius tenebrosum) Perfunditur contemptu, exiit sua auctoritate, redditur obscurum, contractum, eius cornua odiunt Bestiam, deficiunt, recusant obedientiam, & confæderationem, patitur incursiones, grassationes, & direptiones intestinas, & externas.

Commanducauerunt linguas suas præ dolore) Extremo furore perciti, seipso lædunt, sua ipsorum dicta, & doctrinas mordicus defendunt. contra seipso ipsimet loquuntur in suam perniciem.

Et blasphemauerunt Deum cœli) Conuicia conijciunt

ijciunt in ipsum Christum, eiusq; Euangelium, cui imputant, & ascribunt has mutationes, tumultus: seditioes vocant, quas ipsimet concitant sua aduersus Christum, eiusq; Euangelium, contumacia.

Neq; egerunt pœnitentiam, ab operibus suis)
 Æquè vt falso iusticiarij superiores, tantû abest vt emendentur, quin vertantur in furorẽ, phrenesim & paroxisimum comitalem, quo sibi ipsis præmordent, mutilant, & cominanducant linguas, ne quid in posterum verè dextrè, disertè, & articulatè loqui possint de Deo, secundum leges & rectam rationem, sed contra conscientiam balbutiant.

Sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum, Euphraten.) Alludit ad historiã eueres Babylonis per Cyrû, qui deducto, & deriuato alueo Euphratis, fecit ipsum per uium, & vadofum, ad Babylonis (quam medius perluit) ingressum, & direptionem. Ita Dominus detractis animis principum, fecit Turcæ (quæ nunc imminet Imperio ultimo; vt tunc Cyrus imminebat primo) liberas incursioes, & grassationes. Ideo inquit.

VI.

Et siccata est aqua eius) Imperij principes, animis diuisi, propter obscuratum, extenuatumque Imperium Antichristianum, re-

cusant coniunctas operas, ad resistendum, aut depellendum Turcam.

Vt præparetur uia regibus ab ortu solis) manet in allusione, quæ planè respondet ad applicationem Cyri, & Turcæ. Principum discordia, qua alius huc, alius illuc deflectit: alius est Euangelio, alius Apollyonti addictus, facit ut Turca, ex Oriente, facilius, felicius, & fortius horfùm grassetur, ut comprobatur veritas.

Et) deinde. *Vidi*) ocularis testis.

Ex ore) ex corde, intima mente, & meditatione, ex decreto & mandato.

Draconis) Sathanæ, eiusq; Angeli tartarei Apollyontis, Antichristi, doctrinarum dæmoniorum Magistri.

Et ex ore Bestiæ) imperij antichristiani, Brachij seculares, singulæ voces sunt collectiue, cuiusq; societatis.

Et ex ore Pseudoprophetæ) Sophistæ, in vtramq; partem flexiloqui; parati, qui quidem sustinent ministerium Euangelij, sed non ex synceritate & dexteritate, cuiusmodi describit Christus. Mat. 7. 23. ut olim pseudoprophetæ, pseudoapostoli, falsi fratres, canes furenter latrantes, qui ardentissimo zelo Dei ardent, sed non secundum scientiam: qui dictum, seu scriptum sacrum contra scientiam pertinacissimè vrgent: contin-
gunt

gunterimina hereseos contra orthodoxos, eaq; ferro, & flamma persequuntur per Bra-
chium seculare, quod aduocant.

Exire Spiritus tres immundos) ergo malos, maliciosos, & plane Sathanicos, quosq; pro sua parte spirantes, loquentes, docentes, suadentes imperitos & incautos: pariter aduersus Christum, Ecclesiam, Euangeliu, eiusq; synceros Ministros coaxantes.

In modum ranarum) aut bufonum, odiosa-
rumbestiolarum, ex putido puteo tartareo proreptantium, ex forma, & voce, mentis habitus colligitur.

Sunt enim spiritus demoniorum) Interpretatur sese, vnde caetera colligantur. qui infesto, infauito, terribulo, promiscuoq; clamore, & inflatis buccis, noctu, caeteris animalibus quiescentibus, pacemq; sectantibus, coaxant, perstrepunt, aera replent, & turbant.

Ficientes signa) persuasiones, earumq; ex Dei verbo, sinistre citato, confirmationes, quasi Deus ipsorum persuasiones approbet, qui est proprie signorum, seu miraculorum vsus. Sed quia sunt Spiritus mali, ergo mendaces, mendaciumq; signa sunt, ad malum finem intenta.

Vt procedant ad Reges terrae) qui sedent ad reru gubernacula, ecclesiastica & politica.

Orbisq; uniuerſi) quàm latè patet orbis Ec-
cleſiaſticus, Euangelicus, & Chriſtianus.

Ac congregent eos in prælium) quiſque pro
ſua parte. Draco, eiſq; Angelus Apollyon.
vt defendat doct̄rinas dæmoniorū: Beſtia,
vt ſtabiliat imperium Antichriſtianum, pu-
niatq; rebelles: Pſeudopropheta, vt ſuam
tueatur ſophiſticam, & ſycophantiam ad-
uerſus ſynceros, & orthodoxos, hæreſeos
inſimulatos, & proclamatos. Quiſque pro
ſua ratione & uſu faciet inquisitiones ad
perſecutionem, & prælium illud extremū,
& crudeliſſimum, de quo ſup. cap. 11. 12. in-
fra 19. Dan. 12. Matt. 24. quo non fuit ab or-
be condito maius, in quo ad extremum oc-
cidentur duo Teſtes Chriſti, auferetur iu-
ge, reſtituetur Abominandum deſolatiuū
idolum. Ad quod prælium quiſq; ſuam du-
cens phalangem, omnes coniunctis copijs
progredientur, eritq; nouiſſimum.

Diei illius Magni, Dei, Omnipotentis) Singu-
læ voces ſunt emphaticæ, & excellentes in
græco textu. Significat Diem extremum,
non naturalem, nec artificialem, ſed comi-
tialem, ideoq; magnum fore, ad quem con-
gregabuntur omnes ab exordio mundi Ho-
mines, Angeli, & reliquæ creaturæ. Quod
prælium tandem depugnabit, & peruincet
Michael ille, ſui populi, propugnator, Dan.
12. Heros

12. Heros ille, equo albo infidens, qui apprehensa Bestia, falsoq; propheta, præcipitabit eos in stagnum tartareum sulphureo igne perpetuò ardens. infrà. 19.

Ecce) obserua, attende, sedulò meditare.

Venio) ad illud extremum prælium, Iudicium.

Sicut fur) ab inopinato, quando res erit desperatissima: quando hostes videbuntur peruicisse, & triumphare: quando gaudebunt, & inuicem munera gratulatoria sibi mittent: quando dicent, pax & securitas, tu taq; omnia.

Beatus, qui uigilat) in fide, veraq; doctrina, & vita.

Et custodit uestimenta sua) in decenti, honesta, piaq; vita, & conuersatione erga Deum & proximum.

Ne nudus ambulet) priuatus, & exutus veste nuptiali, fide erga Christum, charitate erga proximum.

Et uideant) Deus Christus iudex, omnes sancti, iusti, Angeli, & reliquæ creaturæ omnes conspiciant.

Turpitudinem eius) hypocrisim, obscœnitatem vitæ, impietatem, & scelera.

Et congregabit) vno ordine habebit.

Eos) omnes Draconistas, Bestiales, Pseudopropheticos sophistas, sycophantas, & Nudos.

In locum) mactationis, stragis, & cladis.

Qui uocatur Ebraicè) vsitato vocabulo Numeri. 8. Leui. 21. Ios. 6.

חַרְמָה harma, græcè, ἀνάθεμα, execratum, deuotum, totali internicione destinatum, gallicè, pries, quasi libera præda, à חַרְמָה execrari, & גֶּדוֹן gedon diminutiue, & contèptiue, turma, confusum, seu promiscuum agmen, deductum à גָּדַר turmatim excursionem incursionem, & irruptionem facere, non iusto statoq; prælio pugnare. Simul constructum Harma gedon, significat damnatum, execratumq; exercitum, qui totali internecioni traditus est, de quo nihil relinquitur uiuum, aut manu captum, quemadmodum Iericho, Amalekite, Chananitæ, & Arad, quæ ab anathemate propter rebellionem, tota internecioni tradita, Harma dicta est. Num. 14. 21. Ita hîc, Christo rebelles, æterno percutientur anathemate, æterna morte extinguentur.

VII.

Septimus Angelus effudit phialam suam in Aerem) Sequitur vltimæ septimæ Euangelicæ Tubæ, septimus vltimusq; effectus, vltimi prælij, de quo supra, causa mouens, per accidens, à parte aduersa tertij Væ, septima & vltima plaga, in hunc modum. Angelus, Euangelij ministerium, effundit phialam suâ. iræ Dei, in Aerem, vt repurgato Sole, repurgetur & Aer, per quæ Sol suos radios transfundat,

fundat, vnde homines trahant vitalem halitum, & ducant spiritum à pestifero & contagioso infernalis putei fumo doctrinarum dæmoniorū infectū, & obscuratum sup. 9. iam repurgandum & serenandum, vt sit salubris & lucidus, vt sit sanus, verusq; intellectus, de doctrina iustificationis, per humana merita, secundum Christum ad salutem necessaria, aliaq; sophismata obscuratus. Vt repurgata doctrina iustificationis, seu fidei, repurgetur quoq; doctrina iusticię operum, seu bonę conscientię, alioqui est mera hypocrisis, æterno anathemate digna.

Et exiuit uox magna) circumquaq; & in vniuersum sonora.

De Templo cœli, à Throno) Dei, videlicet.

Dicens) docens, clamās, solidè pronūcians.

Actum est) consummatū est, quicquid ab æterno destinatū fuit, de Ecclesię forma & fortuna, de toto Spirit⁹ sancti officio, æquē vt de Christi officio in cruce, iam est totius Comœdię, & Tragœdię finis. Acta, & trans acta sunt omnia. Plaudite, attollite capita vestra, quoniā p̄pinquat redemptio vestra.

Et facta sunt fulgura, uoces, & tonitrua, terræ motusq; factus est magnus, qualis non fuit, ex quo homines fuerunt, & super terram talis terræ motus, ita magnus) Hic est vltimæ Tubæ, finalis effectus, per accidens à parte

aduerfa, tertij Væ, vltima plaga, vltimum illud prælium, per tres istas tartareas ranas motum, de quo supra. 11. & Dan. 12. Mat. 24. Quod iam in procinctu, & apparatu est, in quo duo Testes Christi occidentur: Iuge auferetur, & abominandum desolatiuum restituetur, semiquatriduo oraculari ante extremum, per Concilia, Comitia, & Synodos. qui viuit, obseruet. Per fulgura, voces, & tonitrua, intelligas anathema; per terræ motus intelligas inquisitiones, persecutiones, & bella, quæ, quamuis à prædicato vltimo Euangelio, continua, attamen particularia fuerunt, hæc erunt vniuersalia, in hunc modum. Sequentur inquisitores in singulis principatibus, concionatores, recusantes obedientiam, exuentur officio, aut exurentur, vt hæretici, atq; ita Testibus Christi occisis, iugiq; ablato, sequetur altum silentium, vt vix inuenias fidem in terra: restituetur Abominatio, hostiumq; tripudiũ, quod Christus post triduum oraculare, sua illustratione turbabit. Sup. 11. 1. Thess. 5.

Et facta est Ciuitas magna) Apollyontis, ciuitatis instar in toto Christianismo certis legibus, ordinibus & communicationibus gubernata.

In tres partes) Zach. 13. vt constet, qui sint de Apollyontis familia. Qui sint flexi loqui; Sophistæ, hypocritæ, & qui sint confessi;
Testes.

Testes Christi. Aut tres istæ tartaræ Ranæ
facient istam triplicem diuisionem.

Et Ciuitates gentium) extra Christianismū,
vt Mahometismus, & Gentilismus.

Ceciderunt) corruerunt simul, sola persi-
stente Ierusalem, ciuitate Dei, de qua in-
fra 21.22.

Et Babylon magna) totus Antichristianis-
mus, tota impiorum commistio. & confu-
sio, totum Apollyontis imperium, locusta-
rumque familia, magna quantitate, conti-
nua, & discreta. Parasceue ad sequentia.
17. capitis.

Venit in mentem coram Deo) Iam matura ad
æterna supplicia, recitatis eius sceleribus.

Vt daret illi calicem) destinatum, & infusam
portionem,

Vini indignationis iræ suæ) tropus est æter-
næ damnationis, & iudicij.

*Et omnis insula fugit, & montes non sunt in-
uenti*) de quibus suprâ. 6. Periphrasis finis
mūdī, perit schema mundi huius. Vt terra
die secundo ex centro exuberavit in mon-
tes, ad animalium habitationem, Gen. 1. ita
tunc subsident in centrum suum, in medio
aquarum, quæ erunt impijs mare igneum,
de quo suprâ. 15. infra. 19. & 20.

*Et grando magna, ut talentum, delapsa est in ho-
mines*) est periphrasis seuerissimī & grauissī
mi iudicij Dei.

Ac blasphemarunt homines Deum, propter plagam grandinis: quòd magna facta est plaga eius uehementer) Impij inculpando Deum iniquitatis, cumulabunt sibi maiores pœnas in infinita æternitate.

C A P V T X V I I .

De imagine florentis Antichristianismi, Meretricis, Bestia insidentis.

ET) post frustraneas plagas, & castigationes Antichristianismi, sequitur eius iudicium, vt Cainismi, vt Pharaonis.

Venit) à Deo missus, aut residuus factus.

Vnus) adeò in arctum, & exiguum contractur, & iam contractum est Euangelij ministerium, vt vix vnum syncerum, strenuū & professum videas reliquū Euangelij ministerium, vt Noëh temporibus.

De septem Angelis) superioribus, qui restitutum prædicabant Euangelium syncerè.

Qui habebant septem phialas) qui strenuè castigabant Apollyontem, cum suis locustis, cæteri sunt flexiloqui sophistæ, mediastini, perfunctorij, pro loco, tempore, & aura.

Et

Et locutus est mecum) Vocale verbū, & ministerium eius, quamuis perexiguū, manebit vsq; ad extremum, donec penitus occidantur duo Testes Christi. Ero vobiscum vsq; ad consummationem.

Dicens) loquens, prædicans, scribens.

Mihi) Iohanni, loco Ecclesiæ extremæ.

Veni) seorsum ab Antichristianismo.

Ostendam) hætenus ignotam, patefaciam
Propositio.

Tibi) Ecclesiæ, cæteris eam adorantibus.

Damnationem) infernalem, quæ sibi gloriose promittit, & iactat æternam, in summo cælo, gloriam, coronas, & felicitatem.

Meretricis) falsæ, fucatæ, apostaticæ, idololatricæ, hypocritæ, & fornicariæ Ecclesiæ, à vero suo sponso, & marito Christo: nihilo minus se legitimam eius vxore iactantis.

Magnæ) per omnes species quantitatis continuæ, & discretæ, quàm longè, latè, diu que, & multipliciter se extendit Christianismus.

Quæ sedet) quietè, vt domina, gubernatrix, & regina nomine titulo, & prætextu veræ catholicæ Ecclesiæ.

Super aquas multas) regiones & populos.

Cum qua fornicati sunt) cuius à Christo apostasiam, doctrinam dæmoniorum, hypocritism, & idololatriam, susceperunt.

Reges terræ) cuiuscunq; status, gradus, & conditionis gubernatores, magistratus.

Et inebriati sunt) ad nauseam vsq; repleti, fascinati, & dementati sunt.

A uino fornicationis eius) de plausibili dulcorata & delicata, sed falsa, & venenata doctrina, quæ totam mentem penetrauit, & in fatuauit.

Qui inhabitant terram) terrestres, rationales, vulgus impiorum, quorum conuersatio, patria, & hæreditas non est in cœlis: ad differentiam veræ Ecclesię Electorum, quæ Bestia profligauit, quæ exulat obscura in deserto, sup. 12. quæ ad extremum tandem exornata prodibit. infra. 21.

Et abstulit me) Propositionis narratio est, abstulit me, mente non corpore, raptum, à præsentis rerum contemplatione, ad spirituales: propositioni congruam, more prophetico, vt Paulo Damasci contigit.

In desertum) vt apparebat, in quo feræ bestię grassantur, signum signato congruens, Mundo, in quo hæc Meretrix, Bestię inquitans libidinatur.

In spiritu) figuratè, non liberaliter, intelligendo.

Et uidi) ocularis testis, per attentionè, & fidem.

Mulierem) meretricariam istam, antichristianam. Seden.

Sedentem) occupantem, gubernantem, & pro suo arbitrio flectentem.

Super Bestiam) istam quartam imperialem, de qua Dan. 7. suprà. 6. & 13. Nusquam est membrum Bestiæ, cui non infideat membrum Meretricis.

Coccinam) rubeam, sanguinariam, martyrum Christi sanguine tinctam.

Plenam nominibus blasphemie) plenam doctriinis dæmoniorum, & aduersus Deum se iactantem, & appellantem sanctam, & catholicam Hierarchiam.

Habentem capita septem) Electores, septem colles, septem imperij ordines.

Et cornua decem) confœderata regna, prouincias consulares. de quibus supra. 13. planè deformis, & monstrosa.

Mulier autem) fornicaria, & apostata Ecclesia.

Circundata erat) vestita, & ornata.

Purpura, & coccino) sanguinario colore.

Et inaurata auro, lapide precioso, & margaritis) Verbo Dei, Sacramentis, & spiritualibus donis, sibi mendaciter applicatis, & usurpatis.

Habens poculum aureum) Verbum Dei, ad literam, Sacramenta.

In manu sua) in sua administratione.

Plenum abominationibus, & immundicia for-

nicationis suæ) doctrinis dæmoniorum, sub prætextu verbi Dei.

Et) vidi, *in fronte*) in publica professione, qua ab alijs discerni possit.

Scriptum) pro eius titulo, à Deo datam.

Nomen) veram appellationem, quamvis se longè alio falso titulo venditet, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.

Mysterium) quod figuratè, totam, veram, & intimam eius descriptionem, ab essentia, quantitate, qualitate, & relatione, per assimilationem complectitur, iuxta veterem versiculum.

Versus Amor, caput est, & Bestiæ terræ.

Babylon) iuxta æquiparationem, ut ipsa fuit prima Monarchia gentilisimi, ita hæc est ultima falsi Christianisimi. Israelis, veræ Ecclesiæ captiuatrix, omnium doctrinarum dæmoniorum, vitiorum, scelerum, & flagitiorum confusio, & permixtio: diuisione linguarum, & tandem illustri aduentu Christi penitus destruenda.

Magna) per omnes species quantitatis, continuæ, & discretæ. longa, per 1260. annos, lata, per totum Christianismum. Profunda, per mysterium iniquitatis, multa, & innumerabilis, per suos status, & ordines, seu familiam.

Mater) genitrix, & nutrix.

Fornicationum) corporalium, & spiritualium
per

per vetitū coniugiū cleri, & per idololatrias.

Et *abominationum*) doctrinarum demoniorum, superstitionum, scelerum, & flagitiorū quæ quisq; rationis compos abhorret.

Terræ) totius Orbis, quàm latè patet terra. iuxta dictum,

Versus Amor mundi caput est, & Bestia terre.

Et) per auxesim: ad impietatem accedit tyrannnis.

Vidi Mulierem) mysticam Babylonem.

Ebriam) semp sitientē, bibentem, & ad vomitū vsq; immoderatè, incessanter, copioseq; gurgitantem, repletā, insanam, & furentē.

Ex sanguine) homicidio, quod includit perpetuas persecutiones, exilia, carceres, flagellationes, & omne genus tormentorum.

Sanctorum) non sceleratorum, sed à vitijs, impietate, & flagitijs segregatorum, Deo, & pietate destinatorum, virtuosorū, & valde frugaliū Christianorum.

Et *ex sanguine martyrum Iesu*) specialiter eorum, qui testantur, docent, profitentur, & prædicant, nos sola morte, & merito Domini nostri Iesu Christi, saluari, præter vlla humanorum meritorū adminicula. hic cardo & caput rei, totiusq; negocij est. Sūmè miranda, & reuerenda est omnipotens scientia, seu omniscientia Dei, quòd ei omnia in euentu respondeant, æquè, ac si tūc facta, & ex historia conscripta fuissent.

Et miratus sum, cum uiderem eam, admirationē magna) Est effectus hypocrisis Antichristianiſmi apud ſimplices, & imperitos, de externo fūco, & ſplendore eius, quo in errorem ſeducantur, ſi fieri poſſet, etiam Electi, Chriſto ipſo vaticinante Matt. 24. niſi per Angelum, ſeu Euangelij miniſterium, & miniſtros reuocarentur.

Ac dixit mihi) Iohanni, vicem Eccleſiæ Electorum, & ſimplicium ſuſtinenti.

Angelus) Euangelij miniſter, vt lateralis Comes.

Quare miraris? Quid ſuſpicis? cur quaſi diuinum veneraris nobile, & inſigne Scortum, pro honeſta Muliere, deceptus externo fūco, & ſplendore, quod nemo bonus, virtutisq; amans, ſciens, & volens facit? Sed nemo diſcernere poteſt, niſi qui eam nouit, tanta eſt vtriuſq; conformitas, Aharōnici, & Apollyontis pontificatus: veræ & falſæ religionis, ſolus Angelus ex Deo, Miniſter Euangelij, ex verbo Dei, nouit, diſcernit, cauet, & monet Eccleſiam.]

Ego dicam tibi myſterium Mulieris, & Beſtiæ, quæ portat eam) Propoſitio eſt, ad ſequentē narrationem, quod myſterium iniquitatis, nemo, niſi Angelus Dei reuelet, intelligit, adeò Sathan ſe transformauit in Angelum lucis. Eiuſmodi monitores Angelos ſemper

per per successionem habuit Ecclesia, & nunc, cum ad fastigium venit, omnium maximè. Quis vnquam, Apollyontem in templo Dei sedentem, vtq; Deum veneratum, appellaret Meretricem? Eiusq; imperium, appellaret Bestiam?

Quæ habet capita septem, & cornua decem) Est periphraſis quartæ, deformis, monſtroſæ, & truculentis Bestiæ monarchiæ, de quâ Dan. 7. Sup. 13. quam & ipſe Angelus infra interpretatur. Sequitur narratio.

Bestia) Quarta monarchia:

Quam uidiſti) ſuprà cap. 13. & hîc:

Fuit) Monarchia ſub Gentiliſino:

Et non eſt) monarchia, deſtructa per Gothos.

Atq; aſcensura eſt ex abyſſo) Inſtaurabitur (iam dudum inſtaurata) per Apollyontem, Angelum abyſſi, non ex cælo, nec ex Deo: ſup. 13. Inde liquet quò loco habeamus præſens imperium:

Et in perditione ibit) Durabit, donec à Chriſto iudice extremo apprehenſa, præcipitabitur in æternæ damnationis abyſſum, in ſtagnum perpetuo igne ſulphureo ardens. infra. 19.

Mirabunturq;) ſcilicet Bestiam: Monarchiam Apollyontis, venerabuntur, vt diuinitus inſtitutam.

Inhabitantes terram) eius beneficio, aut largitione terrenas possessiones occupantes.

Quorum nomina non sunt scripta in librum uitæ) Qui non sunt Electi, aut in Christū creduli, ipsi monenti Angelo non obsequentes, admirantur.

A condito mundo) ab Electorū initio, quando hic liber vitæ inscribi cœpit.

Videntes Bestiam) ab integro instauratam Monarchiam Apollyontis.

Quæ erat) monarchia in Gentilismo.

Et non est) amplius monarchia, à Deo per Gothos destructa, & abrogata.

Hic est mens, quæ habet sapientiam) Hæc est eius mysterij interpretatio, propositio ad sequentia, vt Danielis capite 7. de quarta Bestia.

Septem capita) Bestiæ, est interpretationis narratio.

Septem montes sunt) aut pro loco, aut pro forma.

Super quos Mulier) fornicaria, Apollyon ipse.

Sedet) habitat, suam sessionem habet.

Regesq; septem sunt) succedanei quartæ monarchiæ ordines, vt fuerunt, Reges, Consules, Decemviri, Dictatores, Triumviri, Cæsares, & Imperatores externi.

Quinq;) vt Reges, Consules, Decemviri, Dictatores, & Triumviri. Ceci-

Ceciderunt) abrogati sunt.

Vnus) sextus ex ordine, Cæsarius ordo.

Est) in gubernatione, tempore Ioannis.

Et alius) septimus, Imperatorum externorum ordo, cuius, Traianus Hispanus primus fuit.

Nondum uenit) tempore Iohannis.

At cum uenerit) ad Imperij ordinem.

Paululum oportet cum manere) in Imperij ordine, quia Imperator Constantinus decedet Bizantiũ, & quia per Gotthos destruetur imperium.

Et Bestia) Imperium, seu Monarchia quarta.

Quæ crat) sub Gentilismo.

Et non est) amplius, à Deo per Gotthos abrogata.

Ipse octauus est) scilicet imperij ordo, per Apollyontem instauratus, in posteriore dominatione Bestiæ, vt Sup. 13. cuius Carolus magnus fuit primus.

Et de septem est) de septimo ordine, de externis Imperatoribus.

Atq; in perditionem uadit) obstinata manebit vsq; ad finalem perditionem, ad finem mundi, iudiciũque extremum, quando Christus eam apprehensam cum eius falso propheta præcipitabit in mare tartareum. Infra decimonono.

Porro, decem cornua quæ uidiſti) in ſeptem capitibus Beſtiæ quartæ.

Decem reges ſunt) non per ſuccedaneos ordines, ut ſuperiores ſeptem.

Qui regnum nondum acceperunt) tempore Iohannis, tantum prouinciarum præſides fuerunt.

Sed poteſtatem tanquam reges) liberæ & propriæ potentia, & gubernationis, ut imperio confœderati.

Vna hora) eodem tempore, & conſtitutione.

Accipient) ab Apollyonte, ita conſtituente, non à Deo.

Cum Beſtia) Ex terra, non è cælo prodeunte, in octauo ordine imperij, iuxta conſtitutionem Apollyontis, Angeli abyſſi, in poſteriore Beſtiæ dominatione. Sup. 13.

Hi) decem reges, confœderati imperio.

Vnum conſilium) conſenſum confœderationis.

Habent) ex ſeſe, aut ex Apollyonte, eius imperij & Beſtiæ creatore, non ex Deo.

Ac uirtutem, poteſtatemq; ſuam) ſupremam gubernandi potentiam, & authoritatem, conuocandi comitia, & decidendi controuerſias.

Beſtiæ) Tyranno.

Tradent) ut confœderati, agnoſcent Tyrann.

rannū, vt supremum suum regem, monarcham, regem regum.

Hi) decem reges in successione regnorum.

Cum Agno) Christo, eiusq; Angelis, ministris euangelij.

Pugnabunt) perseguendo Apollyontis impugnatore, Euangelij Christi professores, quia sunt confœderati, & iurati Bestiæ, ipsa Bestia, est iurata, & subiuga Apollyonti, qui est Angelus Abyssi, regis tartarei.

At Agnus) Christus, verus Monarcha.

Vincet illos) Veritate, Confœderata imperio regna, deficient ab imperio, atq; suscipient Euangelium, iam in vniuersum, ante consummationem, prædicatum agnoscent se Christo, vt summo Regi, in Baptismo iuratos, cui magis oportet obedire, quàm hominibus. Superior potestas derogat inferiori. Quod hodie comprobatur experientia.

Quia Dominus dominantium, et Rex regum est) Ipse Monarcha verus, originalis, absolutus, vniuersalis, & æternus est. Ratio defectio- nis est ab Apollyontis imperio.

Et qui cum illo sunt uocati, electi, & fideles) scilicet pugnabunt, & vincunt. Cæteri erunt flexiloqui, & mediastini Sophistæ, perfidi, & infideles.

Et dixit mihi) transitiuè à Bestia, ad Meretricem.

Aquæ, quas uidiſti, ubi Meretrix ſedet) ubi doctrina dæmoniorum, & idololatria Apollyontis viget, propagatur, & principatum obtinet.

Populi, turbæ, gentes, et linguæ ſunt) Non tantum in vnâ linguam, gentem, nationem, aut populum ſparſa eſt, ſed in tot, quot ſub cælo, & in orbe Chriſtiano ſunt.

Et) ad extremum.

Decem cornua, quæ uidiſti in Beſtia) decem regna imperio Apollyontino confœderata, quæ nunc omnibus ſunt notiſſima.

Hi) reges ipſi, non tantum ſubditi in regnis, cognita Apollyontis hypocrifi, fallacia, fœditate, doctrina dæmoniorum, & idololatria.

Odiunt) execratam, deteſtatam, abominamq; habebunt.

Meretricem) falſam doctrinam, & ſuperſtitionem apoſtaticæ Eccleſiæ.

Deſolatamq; facient illam, & nudam) Aliena bunt mentem, recuſabunt aſſenſum, ſocietatem, & præſidia, ſpoliabunt eam ſuo fuce, & ſplendore, ut appareat eius turpitudine, quemadmodum exiit Scortum flagellandum, aut exurendum. Ita priuabitur omni ſua dignitate, & authoritate.

Carnesq; eius uorabunt) bona Eccleſiaſtica diripient, Mich. I. Merces meretricis, ad merce-

mercedem meretricis reuertetur. Reges & Principes bona Ecclesiastica suis Satrapis distribuent, ipsi porrò suis equitibus, militibus, & stabularijs. Adeoq; defensores Papæ, deuoratores eius sunt.

Atq; ipsam igni exurent) vsitato iudicio, & pœna, qua afficiuntur Scorta, & fornicarię. deuouebunt æternis pœnis: nulla vnquam mouebuntur erga eam clementia, & commiseratione.

Deus enim dedit in corda eorum) Pro ratione superiorum, causam efficientem subiungit, ne cogitemus casu aut contingentia factam hanc mutationem de Apollyonatu. Deus dedit in corda eorum pariter permisit siue, voluntariè & operatiuè.

Vt faciant uoluntatem eius) odiendo, deferendo, desolando, nudando, vorando, & exurendo Meretricem.

Vt faciant unam uoluntatem) Vt vnanimi consensu exequantur eandem Dei sententiam, consilium, decretum, decisionem, iudicium aduersus Meretricem.

Vt dent regnum suum) Primariam, & supremam potestatem, quisque in quolibet suo regno.

Bestiæ) imperio Apollyontino. Quamdiu autem?

Donec consummentur uerba Dei) de præ-

fixo, & constituto eius tempore 1260. annorum, suprà 13. Danie. 12. quibus expletis, ipsam vicissim destruant, & destituant. Aut donec in vniuersum omnia verba Dei consummentur, quæ prædicta sunt fore, vt fiat, vsq; ad consummationem seculi. Ipsa autē iam sunt in effectu, Ergo finis adest.

Mulier autem, quam uidisti) Bestiæ inequiantem, ipsamq; pro suo arbitrio gubernantem.

Est ciuitas magna) Babylon illa imperialis & idololatræ est, iuxta typum Babylonis Chaldæorum, quæ certis suis ordinibus, statibus, & legibus gubernatur.

Quæ habet regnum) summâ potestatem.

Super reges terræ) super Cæsares, Reges, Principes, Episcopos, in omnibus pariter politicis, & ecclesiasticis administrationibus. Inde satis liquet, quis sit iste scelerosus Apollyon, Angelus abyssi, qui hactenus in templo Dei sedit vt Deus, elatus super Deū & omne diuinum, qui adorabatur vt Deus: iam autem detecta, detractaque hypocrisis per restitutum Euangelium, commonstratus ab Angelo, euangelij ministerio, agnoscitur omnium doctrinarum demoniorum commistio, confusio, camerina, & sentina fœtidissima, planè Babylonica Meretrix, cuius iam post eius agnitionem per Euangelium

lium factam, secuta est exitialis & finalis ruina, nunquam instauranda, vt sequitur capite proximo.

CAPVT XVIII.

De irreparabili ruina. Apollyonismi.

ET) continuatiuè, & transitiuè.
Post hæc) Post commonstratum, cognitum, florentem, insolescentem, & ad interitum maturum Apollyonatum.

Vidi alium Angelum) præter & post illos septem phiales effundentes. Angelum collectiuum, pro toto ministerio, & ministris Euangelij vniuersalis, ante consummationem.

Descendentem de cælo) à Deo missum, iam ferè præteruolantem, diuina virtute præditum.

Habentem potestatem magnam) vim, & efficaciam magnam in Verbo, eiusq; effectu.

Et terra illuminata est à gloria eius) ad instar angeli, pastoribus natiuitatem Christi, & resurrectionem eius nunciantis. A quo omnes terrarum populi acceperunt illustrationem, & consolationem Euangelij.

Clamauitq; per fortiter uoce magna) in vniuer

sum, & circūquaq; sonora, in toto mundo.

Dicens) docens, clamans, prædicans, & scribens.

Cecidit, cecidit Babylon ista magna) Apollyonisini, iuxta typum Babylonis gentilisini, Sup. 14. Est gratulatorium epinikion, de effectu Euangelij, iam ante consummationem prædicati, pro solutione diutinæ captiuitatis Ecclesiæ, ad æternam redemptionem, & remigrationem in patriam cœlestem, quæ iam immediatè sequetur, quamprimùm per singulas terras, linguas, & gentes, completa fuerit hæc ruina Babylonis.

Et facta est cohabitaculum dæmoniorum) quicquid post castigatam, septemq; phialis perfusam, post dirutam, & vastatam Babylonem, post eductum Israellem ex eius captiuitate, manet obduratum in Babylone: est habitaculum Sathanæ: peccat in Spiritum sanctum: manebit in æterna ruina, & interit: nunquam instaurabitur.

Et custodia) carcer, occlusio.

Omnis spiritus immundi) viciosi, odiosi.

Et custodia omnis auis immundæ & odiosæ) vitæ, viciosæ, abominabilis, execrabilis, periphraſis omnis generis dæmoniorum, diabolorum.

Quia) prima ratio, & causa ruinæ, & deuastationis Babylonis postremæ.

De uino iræ fornicationis suæ) doctrinarum dæmoniorum, apostasiæ, & idololatriæ, cui Deus extremè irascitur.

Potionauit omnes Gentes) Omnes omnium terrarum populos, fecit à Christo auersos, sua falsa doctrina dæmoniorum meritorū, &c. Nomine gentium complectitur promiscuum vulgus.

Et) auxesis est, scelerum non tantū ignarū vulgus, sed & Reges terræ) Quotquot vī quam in gubernatione ecclesiastica, & politica, sunt.

Cum illa scortati sunt) Christo vero sponso, & marito temere, & cōtumaciter repudiato.

Ac mercatores terræ) pariter iuxta literam, & spiritum, negociatores in salutis negotio, quærentes indulgentias.

Potentia strepitus eius locupletati sunt) vehementi clamore, more institorum, vt mercatores accursitent, & à se emant salutem, indulgentias, remissiones peccatorum, & vitam æternam, locupletati sunt, acceperunt quantum volebant indulgentiarum, vt nullo opus haberent Christo saluatore.

Et audiui aliam uocem, de cælo dicentem) Post ostensum, cognitum, abominatum, & ruentem Apollyonatum, quisq; Christianus iam audit hanc uocem de cælo, ex Deo, ex prædicatione Euangelij.

Exite) segregate vos, pariter loco, & societate consensu, & causa, neue in posterū redite, nullam conciliationem, aut transactionem, nullumue adiaphorismū, pacis, aut utilitatis causa admittite, neue cū vxore Lot respicite, sed rectā, perniciousēq; fugite, retrō relictis bonis, abite.

Ex illa) vltima Babylone idololatrīca, & scelerosa, omnium viciorū colluīe, & sentina.

Popule mi) quotquot in me Christum estis creduli, & spem salutis ponitis: quotquot Bahylonicam scitijstis captiuitatem, & iā vestram desideratis ex illa redemptionē, & libertatem, vt olim filij Israel ex Ægypto, Babylone, Chaldæa, & Lot ex Sodoma, & ex Ierusalem deuaſtenda.

Hæc vox, Deo gratia, nobis conscijs apud plurimos valuit, qui relicto Apollyonatu, se ad Euangeliū aggregauerunt. Non valet apud eos, qui contra conscientiam, post desertum abominatumq; Apollyonatum, qui post susceptū, confessumq; Euangeliū, propter Episcopatus, & præbendas possidendas, in suam ipsorum perniciem ad flagrantem, ruentemq; Apollyonatum recurrunt, eius pedes osculantur, confæderationesq; faciunt.

Ne sitis eius peccatorum participes) per consensum,

ſenſum, & confœderationem.

Neue de plagis eius accipiatis) In præſenti, & perpetuo exitio, cum æterna pœnitudine. Nam ratione ſocietatis, eadem eſt fors in delictis & pœnis.

Quoniam) ſecunda ratio, & cauſa ruine, & plagæ ſubiungitur, ne cogitemus fortuitū eſſe caſum.

Peccata eius ſubſecuta peruenerunt uſq; ad cœlum) uſq; ad ſummum ſaſtigiū, vt nihil ſuperaddi poſſit, quæ iam ſua ipſorum mole ruunt: maturuerunt, & per ſe poſtulant à Deo vindictam, nulla intercedente pœnitentia & ſpe emendationis, poſt tam varias caſtigations.

Ideo recordatus eſt Dominus iniquitatum eius) enumerato catalogo delictorum, videt eū planè maturum, nec longius poſſe differre iudiciū. Itaq; per apoſtrophē data libertate, multiplicat dura, atrocia, horrenda, repetita, & cumulata verba imperatiua, ad omnes impios, impellentia & exhortantia ad ſumendam liberam, & plenam talionē, vt zelum Dei verbis & factis exprimant aduerſus ſcleratiffimam & obſtinatiſſimam Babylonem apollyontinam, facit eos Babylonis incendiarios, liberamq; dat prædam. Non pro cuiuſque libidine, ſed mediante verbo.

Reddite illi, sicut & ipsa reddidit uobis) Ipsa vos falso dogmate diuexauit, vos vicissim conuincite & arguite eam erroris & mendacij, & affligite eam, eius falsa dogmata, veritate Euangelij refutando.

Duplicate ei duplicia, secundum opera eius) Ipsa vobis cumulauit adinventiones, occasiones, & superstitiones, quibus se vestris bonis exornaret, vos vicissim eius bona diripte.

In Poculo, quo miscuit uobis) Excruciatum conscientiarum, de suis transgressis traditionibus.

Miscete illi duplum) conscientiarum cruciatum, de transgressis mandatis Dei, per eius doctrinas dæmoniorum.

Quantum glorificauit se) suis meritis.!

Et in delitijs fuit) se super Deum, omniaq; diuino extollendo, & pro placito quiduis statuendo.

Tantum date illi tormentum & luctum) cum Sathana, & omnibus dæmonibus in æternis tormentis infernalibus futuram.

Quia) Tertia ratio, & causa suæ ruinæ.

Dicit in corde suo) ex certa, sed falsa, superbaq; persuasione, intimè colligit, & sibi promittit immutabilem, perpetuamq; felicitatem, ex securitate.

Sedeo) quieta, & segura, nemine refragate.
Regi-

Regina) salutata, habita & venerata, Catholica & Apostolica Ecclesia Christiana, non Meretrix sub prętextu, & iactantia mei Regis Christi.

Vidua non sum) non destituta meo Marito, patrono, & protectore Deo. Aut, habeo meum Cæsarem, brachium seculare, totum imperium. Nihil est periculi, pax est, securitas, & tuę omnia.

Et luctum non uidebo) de mei mariti morte, de huius Apollyonatus mutatione, dum per tot annos, eius fuit perpetuitas.

Ideo) propter insolentem, superbam, & iactabundam securitatem.

Vna die) simul, subito, ab inopinato, & præcipitanter.

Venient plagę eius) ruina, interitus, perditio initialis, temporalis, & æterna.

Mors) animę, spiritu Dei destitutę.

Luctus) conscientię, de impęnitentia, & obstinatione.

Fames) gratię, nunquã adipiscendę.

Et igne comburetur) igne æternę, & severe irę Dei, qui est ignis consumens, semper flagrans, nunquam deficiens, & inextinguibilis.

Quid) Ratio mutationis, & pęnarũ est, & occupatio securitatis, à facili.

Fortis est) omnipotens, fortis, zelotes est.

Dominus Deus) qui superat omnem humanam, & sathanicam potentiam.

Qui iudicabit illam) seuerissimo, æternoq; iudicio, præter, & supra omnem captum rationis, & suspitionis, quod nostri temporis comprobatur experientia.

Et) hæctenus de ruina, & excidio flagrantis Babylonis, sequitur de ordinibus lugentium.

Flebunt) dolebunt, lumentabuntur ex sympathia.

Reges terre) Primus ordo lugentium cuiuscunq; ordinis gubernatores.

Qui cum illa fornicati sunt) discrimen & differentia est eorum, qui eius partibus fauebant, eius idololatriam amplexi sunt.

Et in delitijs eius uixerunt) qui eius hypocrisis, & doctrinis demoniorum delectati sunt, ab ijs, qui suscepto Euangelio, ab ea desierunt.

Cum uiderint fumum incendij eius) principium excidij, conflagrationis, & plagarum.

Longè stantes) non audentes accurrere, propius accedere, ut succurrant ad restinguendum incendium.

Propter timorem tormenti eius) ne simul inuoluantur, obruantur, & pereant.

Dicentes) ex sympathia plorantes, & lugentes.

Væ, Væ) *Mimesis*, ex doloris affectu.

Ciuitas illa magna Babylon) præclara, & per totum Christianismum extensa.

Ciuitas illa fortis) præpotens, totius imperij, & regnorum subiugatrix, imperatrix, gubernatrix. De cuius splendida & felici gubernatione adhuc hodie eius familia querulatur, quàm bona fuerint tempora sub Babylone.

Quia una hora) subito, præcipitanter, & præter opinionem.

Venit iudicium tuum) excidium, & interitus. Magnitudo, & vehementia excidij eius significatur, quòd nec Reges terræ, quamuis obnixè tentauerint, possint ipsi suppetias ferre ad restringendū incendiū, quòd constat in Principibus, & omnibus confœderatis Regibus.

Et) sequitur secundus ordo lugentium Babylonem.

Negociatores terræ) Institores, qui merces exponunt venales, eos intelligas pariter literales, & spirituales: nam omnes suum faciebant quæstum in hac Babylone. Singulariter intelligas, Indulgentiarios, sacrificulos missarios, & id genus plures.

Fleat, & lugent super illa) querulantur abrogatam, excisam, & dissipatam Babylonem. *Causa.*

Quòd merces eorum, nemo emit am plius) Neglectæ computrescunt, ipsi consequenter rediguntur ad extremam paupertatem, & miseriam.

Merces auri, argenti, lapidis preciosi, margarite, byssi, purpuræ, serici, coccini: Item, omne lignum thymum, omneq; uas eburneum, ac quodlibet uas de ligno preciosissimo, ære, ferro, & marmore: Item, cinnamomum, odoramentum, unguentum, thus, uinum, oleum, similam, triticum & oues: Item equorum, rhedarum, mancipiorum, & hominum animas: Et poma desiderij anime tuæ, discesserunt à te, omniaq; pinguia, atque præclara perierunt à te, nec iam amplius illa inuenies) Est enumeratio mercium, quas Babylo-nici institores, suis emptoribus diuenderant in Apollyonatu. Si ad spiritum intelligas de suis indulgentijs, meritis, &c. Item de alijs spiritualibus bonis, & donis spiritus sancti, quæ iam Dominus per iram auersus abstulit. Ad literam autem intelligas de mercatoribus, qui eas merces Apollyonatu diuenderant. nam ijs omnibus ad suas superstitiones, idololatrias, & hypocrisim abutebantur.

Mercatores horum, qui diuites facti sunt) ex his mercibus, emptis, & venditis.

Procul stabunt) iam stant, & recesserunt.

Propter metum tormenti eius) metuentes ne
simul

simul inuoluantur, & obruantur.

Fientes, lugentes, atq; dicentes, Væ, uæ, Ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso, purpura, & cocco, ac deaurata erat auro, lapide præcioso, & margaritis, quòd una hora ablatae sunt tantæ diuitiæ) Dona gratiarum spiritus, quibus nomine, & successione veræ, & catholicæ Ecclesiæ erat ornata: iam autem his propter abusum spoliata defletur.

Atq; tertius ordo lugentium Babylonis ruinam.

Omnis gubernator, omnisq; in nauibus uersantium turba, & nauæ, qui in mari negociantur) qui procùl auehant & aduehant totis classibus merces, literaliter, & figuratè intellectas, singulariter intelligas indulgentiaros, Stationarios, Autonitas, Visitatores, Prouinciales, pœnitentiarios, & id genus plures, qui totis nauibus, totisq; classibus aduehebant, & diuendebant indulgentias, remissiones, absolutiones, merita, intercessionesq; sanctorum mortuorum, & uiuentium hypocritarum, dona Spiritus sanctus, non secus atq; Simon magus, huius nundinationis typus, quorum pecunia, facta est ipsis in perditionem.

Procùl steterunt, & clamauerunt, uidentes fumum incendij eius, dicentes, Quæ similis ciui

tati huic magnæ) Iuxta suam hypocrisim, externumq; fucum, & splendorem: iuxta suas nundinationes, & imposturas: iuxta suas idololatrias, scortariones, & scelera.

Et miserunt puluerem super capita sua) gestu lugubri, desperatæ quæsturæ, & nundinationis.

Clamauerunt, flentes, atq; lugentes, dicentes) ex maximo dolore, & iactura sua.

Væ, uæ, ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues in mari, de precijs eius) Vnde ex truebant totas arces, cœnobia, delubra, palatia, vnde delicatissimè, & lautissimè luxuriabantur, crapulabantur, epicurei de grege porci.

Quòd una hora desolata est) vna intimatio-
ne, & disputatione aduersus Indulgentias.

Exulta) iubila, plaude, dum cæteri lugent
Super eam) spoliatam, exustam, & deuasta-
tam Babylonem vltimam.

Cœlum) cœlestes, Deus, Angeli, totaq; Ec-
clesia Electorum, regnum cœlorum.

Sanctiq; Apostoli, & prophætæ) omnes Ec-
clesiæ, & Euangelij Christi ministri.

Quoniam iudicauit Deus iudicium uestrum de
illa) Quia sumpsit pœnas ab illa, de persecu-
tionibus, & exilijs: de cede, & sanguine ve-
stro fuso per illam: de sophistica, calumnijs,
& bla-

& blasphemijs aduersus Deum.

Et) de finali exitu Babylonis.

Sustulit unus Angelus fortis, lapidem, quasi molarem magnum) de quo Christus Matt, 18.

Ac deiecit in mare) vnde nūquā demerget.

Dicens) finale iudicium, & decisionem Babylonis,

Hoc impetu deijcietur Babylon ciuitas ista magna) in abyssum, & mare tartareū, perpetuò igne ardens, infrà. 19. Exod. 15.

Et ultra non inuenietur) non extabit, non instaurabitur, neq; amplius Ecclesiam diue xabit, vt Ægyptij Israelitas. Exod. 14. quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis in sempiternum.

Et uox citharædorum, musicorum, tibia, tibiq; canentium) grata vox Euangélj, gratiæ, & remissionis concentus Prophetarum, & Apostolorum.

Non audietur in te amplius) Non prædicabitur tibi, auferetur à te multiformis gratia Spiritus, præcidetur tibi omnis gratia, & beneuolentia Dei.

Omnisq; artifex, cuiuscunq; artis) Multiformis gratia donorum Spiritus, quorū communicatio, Ecclesiam Dei, vt opificia ciuitatem, ædificant & conseruant.

Non inuenietur in te amplius) dissipabit, nō edificabit te amplius. Auferet Spiritum san

ctum, cum omnibus, & varijs suis donis.

3.

Vox mole, non audietur in te amplius) Ministerium vocalis Euangelij, quod Verbum Dei terit & explicat, vnde homines alütur ad vitam animæ.

4.

Lux lucernæ, non lucebit in te amplius) Lux mundi, Christus, & lucerna pedibus tuis Verbum Dei, extinguetur tibi, in tenebris impinges, & exhorresces.

5.

Vox Sponsi et sponsæ, non audietur posthac in te) Nullas celebrabis nuptias, Christus sponsus, non agnoscet te pro Sponsa, Ecclesia sua, nulla erit in te filiorum Dei propagatio, eris perpetuò repudiata.

1.

Quia) sequuntur graues causæ, & culpæ, *Mercatores tui, erant principes terræ*) In partes tuas, ad meritorum tuorum nundinationes pertraxisti, persuasisti, fascinasti dementasti, & à Christo eiusq; merito, solo ad salutem sufficiente, auertisti, retraxisti, omnis generis, status, & ordinis magistratus, & gubernatores, & sic consequenter errauerunt omnes subditi.

2.

Quia in ueneficijs tuis errauerunt omnes Gentes) In doctrinis dæmoniorum, in idololatrijs, in superstitionibus, à Christo auersæ errauerunt omnes sub Christianismo Gentes terrarumq; populi.

3.

Et) in super, quod grauissimum, sceleratissimum,

tissimum, & maximè nefarium est.

In ea) Babylone vltima.

Sanguis) neces, homicidia, bella.

Prophetarum) prædicatorum, concionatorum, ministrorum Euangelij, te de tua salute docentium, te de tua perditione monentium.

1.

Et sanctorum) quorumlibet piorum, Christi Euangelium profitentium.

2.

Inuentus est in te) qui de terra, pro vindicta, vt sanguis Habel clamat ad me in cœlum Gen. 4. Apoc. 6. Atq; ita venit super te omnis sanguis iustorum.

Omnium, qui interfecti sunt in terra) vbiuis terrarû, in toto mundo, à sanguine Habel, vsq; ad sanguinem vltimi iusti. Mat. 23. Ideo que æquitas postulat iudicium, & tuis criminibus conuicta, tibi que conscia fateris, quòd tua damnatio iusta sit.

3.

CAPVT XIX.

*De epinikio Ecclesie, extremo-
que pralio Christi, et Bestie, hu-
iusq; aeterno interitu.*

Post hac) post flagrantem, perniciousè ruentem Babylonem vltimam.

Audiui uocem magnam) gratulatoriam,

Ipse Iohannes in spiritu, nos realiter.

Turbæ multæ) Ecclesiæ, omnium linguarum, & populorum.

In cælo) tunc inter Angelos, nunc in toto Christianismo.

Dicentis) docentis, canentis, clamantis, scribentis, dum Babylonici lugent & plangunt suam ruinam.

Halleluia) laudate Dominum,

Salus) nostra, à superato hoste Babylónico,

Honor) victoriæ.

Gloria) industriæ.

Et Virtus) potentiæ, & effectus, tribuatur soli.

Domino Deo nostro) Iesu Christo, nõ nobis.

Quòd iudicavit) pœnis affectit, afflixit.

Meretricem istam magnam) Babylonicam.

Quæ corrupit) à vero Deo, Christo, auertit.

Terram) omnium terrarum populos.

Fornicatione sua) corporali, & spiritali, idololatrijs, & doctrinis dæmoniorum.

Et uindicavit) sumptis pœnis.

Sanguinem) cædes, homicidia, persecutio nes, exilia, bella, carceres, varios cruciatus.

Seruorum suorum) ministrorum Euangelij, Ecclesiæ, omniumq; piorum, solum Christum, vera fide colentium.

De manu eius) quam sanguine contamina-
uit, & repleuit, vt rursus suum sanguinem
reddat.

Et iterum) sæpius repetendo, & interca-
lando,

Dixerunt) clamauerunt, Deo occinuerunt.

Halleluiah) laudate Dominum, de victo-
ria, & vindicta sumpta, & reportata à Merc-
trice Babylonica.

Et fumus eius) æterni incendij, & cruciat⁹.

Ascendit) ex eius incendio.

In secula seculorum) inextinguibilis.

Et prociderunt) proni, cernui, & reue-
rentes.

Viginti quatuor Senatores) Spiritus sanctus
organa.

Et quatuor Animalia) Christi, eiusq; Euan-
gelij symbola.

Adorauerunt) reuerenter venerati sunt.

Deum) Patrem.

Sedentem super thronum) maiestatis suæ.

Dicentes, Amen) verè fiat, vt tribuatur Deo
Patri laus, honor, & gloria in omni æter-
nitate.

Halleluiah) laudate Dominum, perpetuo
hoc cantico.

Et uox de throno) maiestatis Dei.

Exiuit) resonans, in vniuersum omnes ex-
hortans.

Laudate Deum nostrum) quem nos colimus verum Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi.

Omnes sancti eius) Eius electi, à mundo segregati, ab æterna morte, sanguine Christi redempti, æternis eius laudibus, cultui & obedientiæ destinati.

Et qui timetis Deum) colitis fide, & obedientia.

Pusilli & magni) iuxta distributionem donorum gratiarum Spiritus, quisq; secundum suam mensuram.

Et audiui Vocem turbae multae) vniuersæ Ecclesiæ Christianæ.

Quasi uocem Aquarum multarum) populorum.

Quasi uocem tonitruorum magnorum) seriam & in vniuersum sonoram.

Dicentium) sibi mutuò gratulantium.

Halleluiah) Laudate Dominum. Laus Deo.

Quòd regnauit) regnum vniuersale assumpsit.

Dominus Deus noster omnipotens) Iesus Christus, omnibus suis, & nostris hostibus, peccato, morte, & Sathana, eiusq; Angelo Apollyonte, totaq; Babylone, vniuersæ impietatis colluie confusione, & permissione, superatis, deuictis, prostratis, & ad infima, æternaq; tartara præcipitatis, eius Euangelio, vera pietate, & religione, omnibusq; virtutibus restitutis. Ideoq; Gau-

Gaudeamus, & exultemus, ac demus gloriam ei) Deo Domino nostro Iesu Christo, & Patri, in Spiritu sancto.

Quod uenerunt nuptiæ Agni) Christi, ad quas æternas, regalesq; nuptias, hæctenus à condito mūdo, à prima promissione, facta sunt sponsalia, & inuitationes, per prædicationem Euangelij in omnibus gentibus. Matthei vigesimosecundo,

Et uxor eius) sponsa, Ecclesia Electorum,

Præparauit se) induta & ornata veste nuptiali, fide, & dilectione, ipsoq; Christo,

Datumq; est illi) Ecclesiæ, à Deo.

Vt cooperiat se) vestiatur, & ornet se.

Byssino puro, & splendido) innocentia, & merito Domini nostri Iesu Christi. exponit sese.

Byssinum autem, iustificationes eorum sunt) Vera nuptialis vestis, est Christus ipse, cum toto suo merito, quam Deus ipsi Adæ induit, cum ipsum creauit ad imaginem suã, in iusticia & sanctitate vera: quam cum per peccatum perdidit, rursus per gratiam in ætato, immolatoq; Agno, eam vesté sanguine suo mundauit, ipsiq; induit internè per fidem, externè per charitatem, vt iam sit in vera pietate nitida & splendida. Quam qui non habet, eijcietur foràs in tenebras extremas, quas nulla sequetur lucis reuolutio
Matt. 22.

Et dixit mihi) Angelus.

Scribe (vt decretum verbum Dei.

Beati) in æternum salui, & felices sunt.

Qui ad cœnam Agni uocati sunt) Qui hanc postremam Euangelij renouationem, de iustificatione, per solum meritum Domini nostri Iesu Christi, vera fide recipiunt, repudiatis humanis meritis ad salutem, quæ Apollyon per doctrinas dæmoniorum docuit.

Et dicit mihi) assertiuè repetendo.

Hæc uerba Dei) de cœna Agni, de vltima prædicatione Euangelij, in mundo vniuerso.

Vera sunt) certa, & indubitata, ne quis falsa spe suspensus, expectet aliam doctrinam salutis, aut Apollyonatus restitutionem. Proximè sequetur consummatio, finisque mundi, & vita æterna, iuxta verba Christi. Matt. 24.

Itaq; procidi ante pedes eius) arbitratus Christum ipsum fuisse, dum eius faciem, personam, & proprietates referebat, inter candelabra, dum obtulit suffimenta, iurauit, librum porrexit, & Michael præliabitur cum Dracone, dum cum Patribus sæpè congressus, collocutus est specie Angeli, quem Abraham adorauit.

Vt adorarem eum) reuerenter gratias agerem

rem quasi iã perfunçto reuelationis officio.

Ac dicit mihi, uide ne feceris) modestè recusans oblatum honorem, ne vtrobiq; peccetur, præstando, & sumendo honorem, sibi non congruentem.

Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum) Ratio recusationis, cum sui extenuatione, agnoscens se ministratorium spiritum Dei, & Electorum, filiorum & hæredum Dei. Ebr. 1. se esse mystagogum angelú, à Christo missum, ad reuelanda diuina oracula, de forma & fortuna Ecclesiæ, ipsi à Patre ostensa. Suprà 1. Valdè consolatorium est pijs, in huius vitæ calamitate, & miseria, se habere angelos Dei ministros, ad reuelationem, & defensionem, eorum maximè.

Qui habent testimonium Iesu) de Persona, quod sit Deus & Homo, & de officio, quod sit Rex, & Sacerdos æternus, Saluator mûdi, quod præter ipsum non est salus, in vllis humanis meritis.

Deum adora) cui soli iste honor cõpetit.

Testimonium Iesu) quod sit Deus & homo, Rex & Sacerdos æternus, solus Saluator mundi, postulat detestari omnia humana merita.

Est Spiritus prophetiæ) seu propheticus, æquè est ac vaticinari de Christo, vtrumque solus Spiritus sanctus, opus & illustratio

est, præter aliquam humanam industriam.
2. Pet. 1.

Et) transitiuè ad iudicij extremi descriptionem.

Vidi) singularem reuelationem.

Cœlum apertum) clarum conspectum cœlestium.

Ecce) attende & obserua mirabilia.

Equus albus) quo Christus ascendit in cœlum. Non iam asina alba illa nubes. Act. 1. Psa. 103. Dan. 7. Matt. 24. 25. 26.

Et qui sedebat super eum) Eques, Hæros, Ecclesiæ propugnator.

Fidelis & Verax) dicitur, propriè, & absolutè, Christus solus iuxta suas promissiones. Omnis homo mendax.

Iusteq; iudicat) non secundum visum, & auditum, sed secundum cordis conspectum.

Et pugnat) aduersus suos & Ecclesiæ suæ hostes.

Oculi eius, ut flamma ignis) acutissimi, quibus omnia nuda & aperta sunt, quibus perspicit, & scrutatur corda & renes, tenebrarumq; abscondita, quem non fallit hypocrisis, & sophistica, quibus ardentissimè & seuerissimè aspicit, & terrefacit suos hostes.

Et in capite eius diademata multa) vt qui solus verus, & absolutus est Mundi Monarcha,

cha, Rex regum, & dominus dominantium cui à Deo Patre tradita est omnis potestas in cœlo, & in terra: cui se flectit omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum. Victor peccati, mortis, & Sathanæ.

Habens nomen scriptum) à Deo in libris sacris.

Quod nemo nouit) Nemo cognoscit, nemo sibi tribuit, quia nemini congruit, ideoque nemo vsurpat.

Nisi ipse) Iesus Christus, Nomen, quod est supra omne nomen, extra quod, non est nobis datum nomen sub cœlo, in quo nos oporteat saluos fieri, quod qui inuocauerit, saluus erit, ad quod nomen, se flectit omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorum: quod omnis lingua confitetur.

Et uestitus erat ueste) humanitate. *Asspersa sanguine*) ex contrito Serpente Genesis tertio, ex deuictis hostibus Iess. 63. Psalmorum 110. ex morte pro Mundi salute deuicta Iess. 53.

Vocatur nomen eius) quod nemo nouit, agnoscit, sibi tribuit, & vsurpat, nisi ipse solus.

Verbum Dei) Incarnatum, quod erat in principio apud Deum, & Deus erat Verbum, per quod omnia facta & creata sunt,

Iohan. i. quòd vocaliter sonat per os Dei, Christi, eiusq; ministri, in cranatum in virgine, incorporatum in sacro Pane, fide susceptum regenerat filios Dei, per quod viuit homo, sanat morbos, resuscitat mortuos, fugat dæmones, dat Spiritum sanctum, saluat pios, iudicat impios, Immanuel, Iesus Christus.

Et exercitus) Electorum, & Angelorum, Dan. 7.

Qui sunt in cælo) assumpti de terra. i. Thessal. quarto.

Sequebantur eum) vt suum militare Principem, quisq; suo ordine. i. Cor. 15.

In equis albis) in nubibus. Mat. 19. 24. 25. 26.

Vestiti byssino albo et mundo) habitu decenti, heroico, festiuo, victrici, triumphali, & glorioso, mente erga Deum pura.

Ex ore eius procedit gladius acutus) verbum verum & seuerum.

Quo percutiat Gentes) extra Ecclesiam impios. Iess. 11.

Ac regat eas uirga ferrea) Psal. 2. durissimo iudicio, confringet eas, vt vas figuli irreparabile.

Calcataq; torcular uini furoris, & iræ Dei omnipotentis) iuxta parabolam Iess. 63. Sup. 14.

Et habet in uestimento, & in femore suo scriptum) titulū personæ, & officij, seu dignitatis.

Rex

Rex regum, & dominus dominantium) Qui titulus propriè soli Christo, filio Dei conuenit, totius mundi Monarchæ absoluto, & perpetuo: cæteris autem impropiè, & respectiue. Ad cuius conspectum exhorrescent omnes Reges, & Monarchæ, nisi ipsū hîc in tempore gratiæ agnouerint, osculati fuerint, adorauerint.

Tantum de heroica descriptione militaris principis, eiusq; exercitus, ad extremū prælium depugnandum aduersus suos hostes: Sequitur buccinator bellicus, tramentarius.

Et uidi unum Angelum) Ministerium Euangelij valde contractum, exiguum, & quasi ad vnum redactum, vt ad vnum Noah, ante Diluuium aquæ, ita & nunc ante diluuium ignis.

Stantem) solidè persistentem, permanentē.

In Sole) Christo, in vera doctrina Euangelij, & iustificationis, cæteris flexiloquis sophistis, mediastinis, perfunctorijs.

Ipsè clamauit) prædicauit, libris æditis docuit.

Voce magna) constanti, forti, & sonora.

Dicens omnibus auibus, medio cælo uolantibus) Coruis, harpijs, dæmonibus, aut spiritibus vastatoribus.

Venite, congregamini, ad cœnam magnam Dei)

Ad extremam, horrendam, & excellentem stragem hostium Dei, Christi, & Ecclesiæ.

Vt edatis) deglutiatis ad tartarea viscera.

Carnes) Carnales, desperatè, sceleratè, & ex confesso impios, ex quib⁹ emigravit Spirit⁹ sanct⁹, qui carnalia sapiūt, locustas infernales, Apollyontis familiã. Harma gedon.

Regum, tribunorum, fortium, equorum, & equitum, omnium liberorum, & seruatorum pusillorum, & magnorum) omnis generis, gradus, & conditionis impiorum, pariter impellentium, & obsequentium ad impietatem, parum aut multum peccantium, quotquot sunt in eadem societate.

Et) ab altera parte hostium, regem cœli impugnantium.

Vidi) typico actu angelorum, in spiritu.

Bestiam) Apollyontinum monarcham.

Et Reges terræ) confœderatos eius.

Exercitusq; eorū) quotquot sunt de familia, & societate Apollyontis, p singulos ordines.

Cōgregatos) cōiūctis copijs, & virib⁹ omnib⁹.

Ad faciendum prælium) illud extremum, per tres tartareas ranas concoaxatum, ad Apollyonismū cæde, & sanguine defendendū in quo occidentur duo Testes Christi, Iuge auferetur, & Abominatio restituetur

Dan. 12. Apo. 11. 16. temerario ausu agendū.

Cum illo, qui sedebat in equo) albo. cum Christo

sto, rege regū, cęlesti, diuino, sup. descripto.

Et cum exercitu eius) cum omnibus Angelis, & Electis.

Et apprahensa est) ab ipso Heroe Christo, victore, in extremo conflictu.

Bestia) quarta posterioris dominationis, creatura Angeli Abyssi Apollyontis, cum in hoc pręlio occisis Testibus Christi, quasi depugnato p̄lio gaudebit & tripudiabit. Sup. II. cū dicet pax, securitas, & tuta omnia

Et cum ipsa) Bestia imperiali, in eadem societate, & confœderatione.

Pseudopropheta) Apollyon, angelus tartareus, Meretrix Babylonica, ipsi Bestiæ inequitans, ipsam flectens, & gubernās in hoc pręlio, cum omnibus suis membris, locustis, sophistis, mediastinis, hypocritis, &c.

Qui fecit signa) fortes persuasiones ex verbo Dei, falso citato, ad defendendam Ecclesiam catholicam.

Coram ipsa) Bestia, quarta, posterioris dominationis.

Quibus seduxit) persuasit, in errorem p̄traxit.

Eos) non omnes, exceptis Electis, omnes tamen.

Qui acceperunt characterem Bestiæ) certam & externam notam, & reformationem, ad professionem, quod sint de familia Bestiæ.

Et adorauerūt imaginē eius) formā imperij, cui

præsides Apollyon, appellantes, venerantes, eiq; obedientes, vt sancto, diuino, & à Deo instituto imperio, cum sit tartareum, & ab Apollyonte, Angelo abyssi institutum. Sup. 13.

Viii) non interueniente morte corporali, præcipitanter, vt factio Chore, Datham & Abiram. Ergo Bestia illa manebit vsque ad extremum.

Coniecti sunt hi duo) Bestia, & Pseudopropheta, seu Meretrix, cum omnibus vtriusque membris, socijs, affeclis, familia, & societate. Sophistis, sycophantis, mediastinis, perfunctorijs, &c.

In Stagnum ignis) in mare tartareum, non aqueum, in quo submersus perijt Pharao, cum suis Ægyptijs, sed in mare igneum.

Ardens sulphure) vrentissimo igne, ad typum Sodomæ in mari Asphaltico.

Ceteri autem) hypocritæ, falsi Christiani, qui dicent Christo, Domine Domine, nonne nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus, corâ te edimus, tua Sacramenta administrauimus, & participauimus: nonne verum tuû Euangelium professi sumus: ac strenui fuimus in inquirendis, damnandis, & excommunicandis hæreticis, puraque Euangelij doctrina defendenda?

Occisi

Oecisi sunt gladio) acuto, & feuro æterne damnationis verbo, sententia, decisione, & iudicio.

Sedentis super equum) album, Nubem, Christi iudicis.

Qui procedit ex ore eius) pronunciando iudicium. Discedite à me omnes vos mali operarij. Coaxantes ranæ, ite uos maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Euangelium ore sonistis, virtutem, seu effectum eius abnegastis, fratres vestros odistis, hereseos damnastis, anathemate percussistis, officijs suis exuistis, &c. Psal. 50. Matt. 7. 25.

Et omnes aues) Corui, harpiæ, cacodæmones, corripiebant, & vorabant prostratos impios.

Saturatæ sunt carnibus eorum) torquebant eos ad saturitatem. Vermis eorum, eos arrodens, non morietur, & ignis iræ Dei, non extinguetur. Tantùm de Apollyonifino.

CAPV T XX.

De Mahometismi tempore, successione & fine.

ET)transitiuè ad Mahometismi descriptionem.

Vidi)oculariter,in spiritu.

Angelum)mystagogum Christi, Christũ.

Descendentem de cœlo)incarnatum.

Habentem clauem abyssi)apertionem inferni,& mortis.

Et catenam)victoriam,& constructionem.

Magnam)longam,latam & densam, fortem,respectu hostis constringendi.

In manu sua)potestate.

Et apprehendit)misso Spiritu sancto,& prædicato Euangelio in omnibus gentibus,ab rogato gentilissimo, vsq; ad Constantinum conuerſum.

Draconem)immanẽ,virulentũ, & violentũ.

Serpentem illum)præinsignem,non vulgarem,sed infamatũ sinuosum, & flexuosum illum,qui primos parentes seduxit,& labe fecit in paradiso.

Antiquum)ab exordio mundi, à primo lapsu angelorum.

Qui est Diabolus)calũniator, flexiloquus sophista,maliciosus,& sinister omniũbene, & dextrè dictorũ & factorũ Dei interpres.

¶ qui vs.
dicitur

Et *Sathanas*) aduersarius, & perpetuus hostis Dei, Christi, & Ecclesiæ,

Ligauitq; eum) constrinxit, abrogato gentilismo, seu idololatria gentili, cessante martyrum occisione.

Mille annos) initio facto ab eius ligatione, seu gentilismi abrogatione, à tempore vniuersalis Christianismi, tēpore Constantini magni, Anno Christi circiter 315.

Deiecit eum in abyssum, occlusitq; eum, & signauit super eum) ne vnquam emergeret.

Ne seducat omnes Gentes) per idololatriam gentilem, neue occidat martyres Christi.

Donec consummentur mille anni) post Christianismum vniuersalem.

Post hæc oportet eum) Deo ita volente, & permittente, ad castigandum degenerem Christianismum.

Solui) ad liberam grassationem, per Turcam, Anno Christi circiter, 1215. De qua solutione sup. 9. dictum est, & consonat historia Turcica de origine Othomannorum.

Modico tempore) reliquo, 260. annorū vsq; ad extremū, & collatione prioris grassationis Sathanæ, per persecutiones aduersus primam Ecclesiā, aut collatione mille annorum, quib⁹ erat ligatus, quandoquidē 1260 anni destinati sunt Antichristo, Sup. II. cui⁹ finis cū hoc Sathana concurrat, Infra eodē.

Et) deuoluto illo modico tempore, con-
sequenter.

Vidi sedes) iudiciarias.

Sederuntq; super eas) Christus, cum suis Ele-
ctis Matt. 19.

Et iudicium) extremum.

Datum est) à Deo Patre, qui non iudicat
quenquam.

Illis) Christo & Electis, Act. 10. Christus
constitutus est à Deo iudex viuorū & mor-
tuorum. Quando sederit Filius hominis in
sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super
sedes duodecim, iudicantes duodecim Tri-
bus Israel.

Et) consequenter.

Vidi) in spiritu.

Animas) per Angelos repræsentatas, vt a-
nimas sub Altari Sup. 6.

Decollatorum) occisorum, in primis Eccle-
siæ persecutionibus, vsq; ad Constantinū.

Propter testimonium) datum.

Iesu) quòd sit Christus, Deus & Homo,
Rex & Sacerdos æternus, absolutus & vni-
uersalis, Saluator mundi, extra quem non
est salus.

Et propter uerbum Dei) Patris, de Christo,
quòd sit eius filius, vnicè dilectus, quem au-
diamus.

Qui non adorauerunt Bestiam) quartam, si-
bi diui-

bi diuinos honores arrogantem, in priori, & posteriori eius dominatione, in gentilismo, & Christianismo.

Neq; imaginem eius) formam, & constitutionem idololatriæ.

Nec acceperunt characterem eius) notam externam.

In frontibus suis) in publica professione.

Neq; in manibus suis) in actionibus, & ritibus.

Reuixerunt) conscripto martyrologio, declarati sunt sancti, apud Deū viui, & beati.

Et regnauerunt) per sua scripta, doctrinas, testimonia, vitas, & martyria, Ecclesiā Christi gubernauerunt, adhuc prædicant & docent. Aut victores tyrannorum, persecutorum, peccati, mortis, & sathanæ cogniti sunt.

Cum Christo) vero, & æterno rege agnito, & suscepto in vniuersum, in toto imperio, & gentilismo, tempore Constantini magni.

Mille annos) Christianismi vniuersi, quāuis alioqui Christus regnat in æternum.

Cæteri mortuorum) impiorum, Christum, Euangelium, & Ecclesiam persequentium, contemnentium, odientium, quantumuis egregij, & præstantes fuerint, vt imperatores, Prouinciales, præfecti, &c.

Non reuixerunt) post mortem primam,

per bona suæ pietatis testimouia, sed declarati sunt impij, in æternū damnati. Et quamuis in die nouissimo resurgent, non tamen ad vitam, sed ad iudicium, mortemq; secundam & æternam resurgent.

Donec consummarentur mille illi anni) Christianissimi.

Hæc est resurrectio prima) piorum, post mortem corporalem, per bonæ suæ pietatis, testimonia, per sua scripta, vitas & martyria, quibus adhuc viuunt, prædicant, docent, & gubernât Christi Ecclesiã, vt Habel, Patres, Prophetæ, Apostoli, & Martyres. Secunda autê resurrectio erit realis in die nouissimo, quando resurgent ad vitam æternam.

Beatus, & sanctus est) Gratulatoriū epiphonema est, piæ mortuorum, quamuis crudeliter interfectorum.

Qui habet partem in resurrectione prima) qui habet suæ in Christum fidei, confessionis, & constantiæ, bona testimonia.

In ijs mors secunda) quam post resurrectionem vniuersalem, iudiciumq; Christi extremum, ad pœnas æternas damnati, morientur omnes impij.

Non habet potestatem) effectum, vim, & operationem.

Sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi) quòd mortificata carne, sua ipsorū corpora pro Deo,

&

& Christo obtulerunt ad supplicia, prædicabunt & laudabunt Deum, & Christum.

Regnabuntq; cum illo) In Ecclesia, totoque Christianismo, per sua scripta, doctrinas, vi-
tas, & martyria.

Mille annos) libero scilicet, & nõ impugna-
to Christianismo. Quamuis aliàs Christus
regnat in æternum, sed in medio inimicorũ
suorũ, factõ initio, à tempore Constantini,
quando quoq; simul cœperunt tēpora Anti-
christi, 1260. annorũ, quę simul cõcurrũt in
diem nouissimum, iudiciũq; extremum.

*Postquam autem consummati fuerint mille illi
anni*) libri, & vniuersalis Christianismi, circi-
ter annum Christi 1315.

soluetur) iam dudum solutus, suprã. 9. iu-
bente Domino.

Sathanas) apertus Christi, & Ecclesię ho-
stis, exagitator Saracenorũ, & Turcorũ.

De carcere suo) quo clausus latuit.

Exibit) data per Deum libertate, ad casti-
gandum degenerem Christianismũ prodi-
dibit in publicum per Mahumetum.

Vt seducat) falsis, & plausibilibus argumē-
tis instiget, inflāmet, exagitet, & impellat.

Gentes) extra Ecclesiam populos Sarace-
nos, Turcos, Tartaros, Moscouios.

Quę sunt super quatuor angulos terre) orien-
talis: nam in occidente grassatur Bestia cū
Meretrice, aut pseudopropheta.

Gog & Magog) tentorios, iuxta primam originalem, & auitá appellationem, Ezech. 38. Gen. 10. Schytæ, Tartari, Getæ, Turci. Secundum alios residui ex captiuitate Israelis, non reducti, aut reduces in patriâ Chanaan, soluta captiuitate Babylonica.

Ut congreget eos in prælium) aduersus degenerem Christianismum castigandum.

Et ascenderunt super latitudinem terræ) orientalis, quam Turca & Tartarus plurima parte occupant. In occidente grassatur Bestia Apollyontis. Ita vadiq; premitur Ecclesia, in his extremis, & periculosissimis temporibus.

Ac obsederunt castra sanctorum, ciuitatemq; dilectam) Ecclesiam Electorum, vbi sonat vocale verbum Euangelij, cum vera Sacramentorum administratione. Ita, vt planè actum esse appareat cum Ecclesia permittente Domino, pericula venire ad extremum. Hoc saltem est reliquum. Ezechiel 38. 39.

At ignis à Deo de coelo descendit, ac deuorauit eos) toto diluuiò ignis, vt Sodomam, & Gomorrham, vt priorem mundum diluuiò aquæ. Hic erit finis Turcorum. Et Mundi

Et Diabolus) calumniator, & maliciosus verbi Dei interpres per Mahometum.

Qui seducebat eos) falsis argumentis, & doctriinis, ex verbo Dei collectis, qui instigauit eos.

Deic.

Vienna
1529



Danielis
7.

Deiectus est in stagnum ignis, & sulphuris) perpetui, & vrentissimi incendij.

Vbi & Bestia) quarta, & Pseudopropheta) Apollyō, Meretrix Babylonica, & Sophista, *Cruciabuntur)* torquebuntur morte secūda.

Die ac nocte) perpetuò, & indefinenter.

In secula seculorum) in omnem æternitatem, quod est valde horrendum. Atq; ita è medio sublatis impijs, ipforumq; instigato ribus Diabolis, finis erit omnium tribulationum Ecclesiæ, sequetur æterna felicitas.

Et) transitivè ad iudicij descriptionem.

Vidi) in spiritu, typicè, Angelis ita rem referentibus actu comico.

Thronum magnum) sedem iudiciariam, in vniuersum conspicuam, Tribunal.

Candidum) Nubem, iusticiæ, æquitatis, & veritatis symbolicam, absq; iniquitate &c.

Et sedentem super eum) iudicem extremum, Angelum mystagogum, Christum in maiestate sua referentē. iudicij pars prima iudex

A cuius conspectu) fulgentissimo & seuerissimo, diuerso respectu piorum & impiorū.

Fugit cælum et terra) perit, iuxta primā creationem, igne totus mundus conflagratus mutabitur in aliam proprietatem. 2. Pet. 3. Gen. 8. perit schema, forma, & proprietas mundi huius. 1. Cor. 7. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit circunquaq; inimicos eius.

Pfal. 97. Aut omnes pariter Angeli, & Homines extremiscent ad huius iudicis conspectum, quia non secundum visum & auditum, sed secundum cor cuiusq; iudicabit.

Nec locus inuentus est eis) Præ fulgore, & maiestate eius, solam longè superante, aut planè mutabitur totus mundus, Psal. 102. aut nemo sua innocentia, & iusticia perstabit, sed sola fiducia Iesu Christi.

Ac uidi) Angelis ita rem referentibus.

Mortuos) excitatos, iudicandos, pro parte secunda iudicij.

Puillos & magnos) ratione ætatis, stature, & donorum, exceptis pijs, qui in iudicium non uenient. Ioan. 5. in uniuersum omnes, à condito mundo sepultos, etiam uterinos infantes. Quicquid mortis, idem & resurrectionis particeps erit.

Stantes coram Deo) ●portet nos omnes fisti, corâ tribunal Christi. Exceptis pijs, qui in iudicium non uenient, nec iudicabuntur, sed sedebunt cum Christo, pro iudicio impiorum. Ioan. 3. 5. Matt. 19.

Et) pro tertia parte iudicij.

Libri) iudicarij, vnde pronuncietur iudicium, ne quis cogitet, suspicietur, aut incuset iudicem, de confictione criminis, sed vnde conuincetur Rei.

Porro, hi libri non sunt ab alijs conficti, & scripti,

scripti, ne quoq; quis cogitet pro fauore, aut odio plus, minusuè, aut secus scriptum esse, gestum sit, sed à quolibet, quiq; sui, in sua conscientia, secundum solida cuiusq; cogitata, dicta, & facta contra Deum, & proximum, quæ nemo sibi conscius negare potest, pro loco, tempore, & causa, ex ordine, vt in certo rationario, apud quenq; reseruat, scripti, hætenus clausi, incogniti, apud quemlibet sui reseruati.

Aperti sunt) In vniuersum omnibus ex ordine recensiti & lecti, de singulis dictis & factis, testante, aut excusante propria ipsorù conscientia, R. 2. Vt omniù cognitione, consensu, & iudicio, & de facto commonstrati, & conuicti, ad piorum instantiam iudicentur ac dicant, iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Mat. 12. Amen dico vobis, redituri sunt rationem, &c.

Piorum autem libri, non aperientur, quia ipsorum peccata, & crimina, sunt cù aduersa parte offensa transacta, per Christum remissa & absoluta. Matt. 5.

Et) transitiuè ab impijs iudicatis, ad pios absolutos.

Alius Liber) **I**lectorum, qui est vnicus, à Deo scriptus.

Qui est liber vite) eterne, ante mundum conditum ex omnipotenti scientia Dei scriptus, in hæc verba. **Q**ui credit in Filium, non videbit mortem, qui non credit in Filium, ira Dei manet

sup ipsum. Deu. 18. Ioan. 3. 5. Mat. 28. Mar. 16.

Qui credit, is fidem operibus Charitatis erga Deum & proximū declarat. Qui non diligit, manet in morte, non habet vitam in se manentem. 1. Ioan. 3. 1. Cor. 13. Matt. 3.

Et) post apertos libros conscientiarum & vitæ.

1. Mortui) morti æternæ destinati.

Iudicabantur) lata decisiva sententia, ex libris.

Iuxta quod scriptum erat in libris) conscientiarum, & vitæ.

Secundum opera eorum) testantia impietatem eorum.

Et) transitiuè, post iudicium hominum.

2. Mare dedit mortuos suos: mors & infernus dederunt mortuos suos) Est periphrasis vniuersalis resurrectionis vniuersæ animatæ creaturæ, terra, mariq; propagatæ.

Et iudicabantur, quisq; secundum opera ipsorū) vindicata omni iniuria illata & passa, direptisq; omnibus litibus, ne quid super sit que relæ.

3. Atq; Mors, & Infernus) vt vltimi hostes. 1 Co. 15. Effectus cum causa, Sathan cum omnibus peccatis & morte.

Coniecti sunt in stagnum ignis) æternæ damnationis, ne quid nobis sit in posterum ab his periculi, & metus.

Hæc

Hæc est mors secunda) æterna, corporis, animæ, & spiritus impiorum, sine omni spe reuiuiscentiæ, & redemptionis, præcisa omni gratia.

Et si quis non est inuentus in libro uitæ scriptus) Christo non subditus, sed ipsi aduersus, Sathan, & quisq; impius, fiet scabellum pedû eius. Psal. 110.

Coniectus est in Stagnum ignis) æternæ damnationis. Epilogus est, cautionis causa toties repetitus, vt in tempore gratiæ, simus gratiæ Dei studiosi, in Christum creduli, & proximis chari, & beneuolentes.

CAPVT XXI.

De æterna felicitate Ecclesiæ.

ET)transitiuè, & continuatiuè, ab huius vitæ miserijs, ad æternam felicitatem.

Vidi) in spiritu, per angelos ostensum.

Cælum nouum, terramq; nouam) Eadem in 1 materia, alia in forma, & proprietate muta- 2 ta, & innouata. Consequenter, sub totius 3 comprehensione, omnium creaturarû cælestium, & terrestrium mutationem, & innouationem ad alias proprietates.

Primum enim cælum, primaque terra) totus

mundus iuxta primam creationem, constitutionem, & vsum.

Transijt) iuxta dictum Christi, Cœlum & terra transibuut Mat. 24. & Psal. 79. Iesl. 65. 66. Aliud cœlum, aliamq; terram expectamus in qua iusticia habitabit. 2. Pet. 3.

Et mare, non est amplius) tale, aqueum, sed igneum & sulphureum stagnum, in quod Bestia, cū Psendopropheta, Gog & Magog cū Sathana, viui præcipitabūtur, sup. 19. 20.

Et) transitiuè à totius mundi, omniumq; creaturarum mutatione & exornatione, ad gloriam filiorum Dei, sub imagine nouæ Ierusalem. Rom. 8.

Ego Ioannes) nominatim se exprimit, propter sequentium attentionem, & fidem.

Vidi) oculariter, in spiritu.

Sanctam) Deo, diuinisq; laudibus, & cultibus destinata, ab idololatrijs gentium segregata.

Ciuitatem) politiam, ciuium societatem, & communionem, iuxta decentē gubernationem, suo quolibet ordine, & officio, non commistam, & tumultuariā confusionem Babylonicam.

Ierusalem nouam) non illam veterem, idololatricā, à vero Deo defectricem, prophetarum interfectricem, toties à Babylonis, & Romanis vastatam, ex terrestri materia extractam, Sed Descen-

Descendentem de cælo) ex supernis renatâ.

A Deo paratam) electam ante mundi constitutionem.

Sicut Sponsam) quæ omnium est ornatissima, iuxta parabolam regiarum nuptiarum Christi & Ecclesiæ, ex eius carne & ossibus ædificatam. vt Heuam ex Adam.

Ornatam) omnibus spiritualibus donis, bonis, & ornamentis, omnia excellenter.

Viro suo) sponso, Christo, eiusdem carnis, spiritus, fortis, societatis, vitæ, conformitatis, hæreditatis, & naturæ.

Et audiui uocem magnam, de cælo dicentem) uocem Dei, quæ per Euangelium vnde qua que in toto mundo, quàm latè patet cælû, exauditur, de vitæ æternæ proprietate, quæ sequitur.

Ecce) attende, & obserua æternæ felicitatis descriptionem.

Tabernaculum) cohabitatione societas & vnio.

Dei cum hominibus) electis, quæ hîc in verbo, fide, spiritu, & Sacramentis inchoatur diuiduè tamen, tunc autem perficietur indiuiduè, iuxta typum Christi, in ipso totaliter, in nobis distributiue.

Et habitabit cum eis) inseparabili communicatione, vt diuinitas cū humanitate Christi

Et ipsi populus eius erunt) eius cultui, de-

diti in æterna dilectione, obedientia, & reuerentia.

Ipse Deus cum eis, erit eorum Deus) possessiue, immutabiliter, & inseparabiliter.

Et) Ad cumulatiorem æternæ beatitudinis descriptionem, per contraria collationis occupationem, de nunquam huius vitæ miserijs & calamitatibus, per nullas contingentias & accidentia iterandis.

Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum) gestu solidæ, & æternæ consolationis, post longas, multasq; huius vitæ misérias.

Et) prima nominatione.

Mors) quæ omnes homines exterruit, multasq; extorsit lachrymas.

Non erit ultra) quia ablata causa, cessabit effectus, ablato peccato, desinet omnis calamitas.

Neq; luctus, clamor, neq; dolor erit ultra) quæ ex peccato, morbis & morte, alijsq; contingentijs, & flagellis Dei acciderunt, & infligebantur.

Quæ prima abierunt) in huius vitæ tēpore.

Et dixit, qui sedebat in throno) Deus Pater, aut Christus iudex in gloria, aut eius mystagogus Angelus, pro autoritate & fide sequentium.

Eccē) attende, & meditare sequentia inopinata.

Noua

Noua facio omnia) Cælum, & terram, & omnia in eis contenta, & propagato, resuscito, & renouato, ad eternitatē, vt volupè spe ðtentur in æterno Sabbatho.

Et dixit mihi) Iohanni spectatori, & scriptori.

Scribe) vt certum, & decretū Dei verbū.

Quia hæc uerba) de omniū renouatione.

Fidelia & uera sunt) in effectu demonstrāda.

Dixitq; mihi) loco totius Ecclesiæ, vt scriberem, prædicarem, & testarer.

Factumq; est) actum, consummatumq; est, quicquid ab æterno destinauit, dixitque Deus de Creatione, Redemptione, & Renouatione omnium Creaturarum.

Ego sum & u) Ratio & confirmatio est antedictorum, ego sum initium & finis, causa & effectus, fundamentū & terminus omnium, Ex me, per me, & in me omnia. Ro. II.

Ego sitienti) cupienti hæc æterna gaudia.

Dabo de fonte aquæ uitæ) vberriamæ fluentis, & nunquam deficientis gratiæ.

Gratis) ex gratia & beneuolentia, sine precio, & merito.

Qui uicerit) qui perseverauerit in Verbo & fide, qui superauerit Sathanae, carnis, & Mundi tentationes.

Possidebit omnia) vt propria, vt liber & potens hæres Dei, cohæres Christi.

Eroq; illi Deus) quæ vnice colat.

Et ipse erit mihi filius) meæ naturæ, & gloriæ particeps, hæres, possessor, & Dominus creaturarum.

Timidis autem) Sequitur cathalogus perditorum. Timidi sunt, qui huius vitæ metu, non audent Christum, eiusq; Euangelium palàm profiteri, de quibus Matt. 10. Quem mei puduerit, qui me negauerit coram hominibus, eius me pudebit, eumque negabo corâ Patre meo, & Angelis. Qui carnis meritū, spiritus cōstantia superauerint, vt Petr⁹ & alij Apōstoli, de his hīc non dicitur, sed qui perseverauerint in mei abnegatione.

Incredulis) qui non totam suæ salutis fiduciam in me collocant, sed fidūt suis meritis.

Execratis) abominatis præ flagitiorū seditate

Homicidis) persecutoribus ministrorum Euangelij.

Scortatoribus) contra conscientiam in scelerarentibus.

Veneficis) sathanæ confœderatis.

Idololâtris) Sathanam in idolis adorantibus, sui cordis idolum metu, amore, & fiducia colentibus, verum Dei cultum in quamvis creaturam transferentibus.

Et mendacibus) conscientiam veritatē abnegantibus. In vniuersum, & generaliter omnibus, non leuiter ex fragilitate carnis, & præoccupatione Sathanæ peccâtibus, & postremo pœ-

mò pœnitentibus. Sed contra conscientiam in voluntaria scelera ruentibus, obstinate perdurantibus, & Spiritum sanctum abijcientibus.

Pars eorum erit in stagno ardenti igni, & sulphure) In quod conijcietur Bestia, Pseudopropheta, Sathan, Gog & Magog, Mors, & Infernus, simul aduersus Deum, & Christum obstinati hostes.

Que est mors secunda) infinita, & æterna, quã nulla sequetur vita, viuificatio, & redemptio. Quamuis *Origenes* ex his vniuersalibus, *Ecce noua facio omnia, ex Deo, per Deum & in Deum omnia.* Misericordia eius, super omnia opera eius. Dominus deducit ad inferos, & reducit. Itẽ, ex ente, & Vno, ex quo prodeunt, & in quod redeunt omnia, colligit damnatorum aliquando fore redemptionem, post æternas (nobis indefinitas, soli Deo, secundum qualitatem & quantitatem peccati determinatas) pœnas. Sed de his nostrum non est definire, dum eorum nullum extat expressum verbum Dei.

Et) transiẽdo ad nouam narrationem.

Venit ad me) missus à Deo, vt me extremamq; Ecclesiam doceret veram felicitatem, quã mundus pro fabula ridet, ipso facto, totamq; vita, pro consolatione & conformatione afflictissimæ Ecclesiæ, tunc temporis.

Vnus) saltem reliquus.

De septem Angelis) Euangelij.

Habentes septem phialas, plenas septem plagis nouissimis) Strenuè Euangelium, & penitentiam docentibus, sceleratumq; mundum & Apollyontem de suis peccatis arguentibus. Cæteris intermedijs, flexiloquis, perfunctoriè & ex præscripto Apollyontis docentibus.

Locutusq; est mecum) Vocale verbum, quâuis propter veros ministros valdè contractum, tamen ad extremum sonabit, Ero vobiscum vsq; ad consummationem.

Veni) seorsum à vulgo impiorum.

Ostendam tibi) & per te, tunc temporis,

Ecclesiæ.

Sponsam) Ecclesiam, cuius in hac vita per Verbum, & fidem facta sunt sponsalia, & in

uitationes.

Agni) Christi, pro sua sponsa, Ecclesia, immolati.

Vxorem) in æterno coniugio, indiuiduaque copula.

Ac sustulit me) non loco motiuè, in corpore, sed

In spiritu) alia, præter præiacentia, spectando.

In Montem magnum & altum) vt apparebat, locum demonstrationi, & contemplationi aptum. Spiritualiter, hîc mons mag-

nus



omo bonis
illo qui per
surrexerit
et peruenit
ad diem 1335
Dauides vtro.

nus & altus est Christus ipse, in ipso prospicimus futuram felicitatem æternam.

Ostenditq; mihi) nunc in ænigmate, speculo, & imagine, donec rem ipsam fruitione percipiamus.

Ciuitatem) ciuium societatem, ordine dispositam.

Magnam) longam, latam, & altam, multisque ciuibus repletam, supra omnes cognitatas, & vsitatas ciuitates longè præsigniorè:

Sanctam Ierusalem) vero Deo eiusq; cultui dicatam, à cæteris gentilibus ciuitatibus segregatam.

Descendentem de cælo) aliam ab ea, quæ in terra constructa, & destructa est.

A Deo) non ab hominibus extructam, ergo longè ornatiorè, quàm vllè terrestres, & quàm illa typica fuit, cū fuit ornatissima.

Habentem claritatem Dei) quam Deus ipse habet, iuxta imaginem Dei. Quæcunq; hîc dicuntur, sunt præter humanum excellentia, vt nos eorum desiderio afficiat, & accendat, terrestria ex animo excutiat. constantiam in huius vitæ molestijs perferendis, eius fruitione firmet.

Luminare eius) prima apparentia, à longe conspecta.

Simile lapidi præciosissimo. Iaspidi) cerulei coloris, quo apparuit Deus Moysi, & 70. senioribus. Exod. 24.

Crystallizanti) pellucidissimo.

Habebat murum magnum & altum) munitio-
nem capacissimam, solidissimam & insupe-
rabilem.

Habentem portas duodecim) ad promptum
circumquaq; ingressum gentium.

In portis angelos duodecim) custodes ab ho-
stili incurfu.

Et nomina inscripta, duodecim filiorum Israel)
in quibus hæc ciuitas primùm fundata est.

*Ab Oriente, portæ tres, ab Aquilone, portæ tres:
ab Austro, portæ tres : ab Occasu, portæ tres.*) vt
circumquaq; paratus pateat introitus om-
nibus circumiacentibus Gentibus, per quã
cunq; portam ingrediantur, per quemcun-
que Apostolum, & ministrum verbi addu-
cantur.

Murus ciuitatis habebat fundamenta duodecim)
quæ vicissim nituntur vno fundamento, &
lapide Christo, Iess. 28. Psal. 118. 1. Pet. 2.

Et in ipsis, nomina duodecim Apostolorum Agni)
Ciuitas Dei, est vera Ecclesia electorum,
fundata super fundamentum prophetarũ,
& Apostolorum, Christo angulare lapide,
citra quod fundamentum nemo potest a-
liud ponere Iess. 8. 1. Cor. 3. Hactenus de
qualitate & forma.

Et qui loquebatur mecum) Angelus Dei, ne
quid cogitemus confictum supra rationis
captum.

captum, de sequenti quantitate ad conuenientem capacitatem Electorum.

Habebat mensuram arundineam auream) iuxta verbum Dei.

Vt metiretur ciuitatem, portas, murumq; eius) de quantitate, & capacitate electorum.

Ciuitas in quadro posita est) vt sit solida, & extensa in quatuor angulos terræ.

Longitudo eius tanta est, quanta latitudo) vt sit omnibus æqualitas in Deo, ne quis plus minusuè Dei habeat. Ciuitas pro ciuibus intelligenda.

Mensus est ciuitatem calamo, pro stadia duodecim milia) Electorum numerus nobis infinitus, & innumerabilis est, Deo autem definitus, & mensurabilis. Suprà 7. Stadia 12000. faciunt 1500. miliaria Italica, aut 375. germanica. per circuitum, significatio est inusitatæ qualitatis, & quantitatis huius ciuitatis, ad quantumuis præclaras, & magnas ciuitates terrestres collatæ.

Longitudo, latitudo, & altitudo equalia sunt) Dei sunt omnes æqualiter participes, nulla hîc est prærogatiua, & præcellentia. Item, significat hanc ciuitatem esse capacissimâ, & inexpugnabilem, intranscendibilem.

Et mensus est murum eius) à densitate.

Centum quadragintaquatuor cubitorũ) nullo hostili incurfu expugnabilis, aut pforabilis.

est significatio securitatis ab hostibus.

Mensura hominis est Angeli) Angelus mensus est humana mensura. Hactenus de quantitate, sequitur de materia, omnia humanū excellentia.

Et erat *structura muri eius, Iaspis*) solidissimi lapidis, cœrulei, limpidissimiq; coloris, vt suprâ & 4.

Ipsaq; ciuitas) per singula ædificia, & domos, corpora sanctorum.

Aurum purum) ex nobilissimo metallo, ab omnibus scorijs defecato, per probatiuum, vrentissimumq; ignem, crucis, citra omnem ferruginis læsionem, vetustatisque attritionem.

Similis vitro puro) pellucido, claro, & perspicaci, sine obscuritate, & macula vitiatæ naturæ.

Fundamenta muri ciuitatis, sunt omni lapide precioso ornata) Vt lapides preciosi ita & electi sunt politi, & virtuosī, quisq; in suo genere, & donis gratiarum spiritus, quorum sequitur enumeratio.

Fundamentum primum, Iaspis: secundum Saphirus: tertium, Calcidonius: quartū, Smaragdus: quintum, Sardonix: sextum, Sardius: septimum, Chrysolitus: octauum, Berillus: nonum, Topazius: decimum, Chrysoprasus: undecimum, Hyacinthus: duodecimum, Amethystus.) Fundamentum ciuitatis

tis Dei, Ecclesiæ, Christus est, doctrina autem prophetarum, & apostolorum de Christo, est nobilis, polita, pura, solida, clara, efficax, virtuosa, & varia, secundum diuersa dona gratiarum Spiritus in singulis electis, ad gloriam Dei.

Duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, singule portæ, singule margaritæ sunt) Porta cœlestis ciuitatis, & ostium ouilis, Christus est, Ioan. 10. Idem & margarita preciosa. Matt. 13. omnibus per solum Christum patet ingressus in hanc Ciuitatem. Margarita pellit venenum, & confortat cor: Christus pellit peccatum & mortem, dat Spiritum sanctum, & vitam æternam. Singulæ portæ, ex singulis margaritis, id est, singuli prophetæ, & Apostoli eundem prædicauerunt Christum, saluatorem mundi, iusticiam nostram.

Platea ciuitatis, aurum purum, tanquam vitrum pellucidum) Platea seu ciuitatis via Christus est, iuxta illud Ioan. 17. Ego sum via, veritas, & vita.

Templum autem non uidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens est Templum eius & Agnus.) Hæc occupatio suprâ explicata est, cum inquit, Tabernaculum Dei cum hominibus. Ipse in eis, & ipsi in eo. Ioan. 17. Tota ciuitas est Templum Dei, in quo perpetuo sabbatho, & religione colitur Deus.

Nec eget ciuitas Sole & Luna, ut luceant in ea) per suas vices, & per sua incrementa, & decrementa, iuxta huius vitæ constitutionē, in qua Sol & Luna tantum typi sunt, æternæ lucis, & Solis iusticiæ, Christi.

Nam gloria Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus) non quòd hîc aspectabilis Sol, & luna, cæteraq; Astra, tunc penitus, & in æternum pereant, vt quæ septuplò erunt illustriora, sed quòd maius lumen obscurabit minus, quemadmodum iam euenire videmus. Deus Pater, & sol iusticię Christus, erunt eius ciuitatis Lux absoluta, & quot sunt Sancti, tot erunt Soles respectiui ad Christum: fulgebunt iusti, tanquam Sol in regno Patris eorum. Matt. 24. in perpetuas æternitates. Dan. 12. Longè alia, & excellentiore Astronomia, quàm quæ nunc est. Nā vt nunc sunt dies terræ, ita tunc erunt dies cœli, & menses. Infra. 22.

Et ambulabunt Gentes) extra Israelem.

Quæ seruata sunt) ex gentilismo, per Euangelium Christi, ante & post eius incarnationem. Multi ab oriente & occidente recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob, in regno Dei. Matt. 8.

In lumine eius) in illustratione, cognitione & salute eius, cæteris in tenebras extremas abiectis.

Ac Reges terræ) seruati, ad Christum, eiusq;

populum aggregati, à Bestia, & Meretrice
Babylonica alienati.

Afferent gloriam suam & honorem in eam) Christo, vt vniuersali Regi, suam salutem, iusticiam, dignitatem, & dominationem, referendo accepta, non suis meritis, non Bestiæ, nec Meretrici, vt suprâ. 17.

Portæ eius non cludentur interdium) Lux erit iustis perpetua, perpetuâq; libertas, & securitas versandi nullusq; metus ab hoste.

Nox nulla erit ibi) nulla vicissitudo lucis, & tenebrarum, somni & vigiliæ, felicitatis & tribulationis, vt in hac vita. Lux vt primum ex centro tenebrarû producta, & hætenus æqua mensura cum tenebris reuoluta, Gen. 1. 2. Cor. 4. ad extremû vicissim occludet tenebras in centro mundi, in quibz, vt in æterno carcere, constringentur damnati Matt. 8. 22.

Nec intrabit in eam quicquam commune) prophanum, immundum, extra fidem Christi.

Quodue abominationem facit) Ex confesso, & sceleratè malû, contra mandata Dei peccans, quòd quisq; abominatur.

Et mendacium) falsum, fictum, simulatû, hypocriticum, sophisticum, quòd cû veritate Dei non conuenit. quæ omnia conijcientur in stagnû tartareû, ne sit metus à pmissiõne impiorum, qui æternam felicitatẽ turbent.

Nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni) in

Christum creduli, & quotquot sunt de societate Christi, & Ecclesiæ. Hac de cœlesti ciuitate, & ciuibus. sequitur de perperua eius annona, vnde viuant.

CAPVT XXII.

*De alimento aeterno, & libri
conclusionē.*

ET) post Ciuitatis, ciuiumq; descriptionem, sequitur de æterno ipsorum alimento.

Ostendit mihi) Angelus.

Purum fluuium) primum ponit refocillationis pocula, post huius vitæ æstum.

Aquæ uiuæ) per se, semper fluentis, & vitam præstantis. de qua Gen. 2. Iess. 55. Fzech. 4. 7. Ioan. 4. 7. Psal. 23. 42.

Limpidum tanquam Cristallum) sanum, sapidum, & salutarem, non turbidum, & noxiū.

Procedentem de throno Dei, & Agni) apud quē est fons vitæ æternæ, Psal. 35. Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris. Iess. 12. Quippe qui ipsemet est fons aquæ uiuæ. Iere. 2. Ergo vita æterna erit de natura, essentia, gratia, & beneuolentia diuina, cuius in hac vita habemus prælibamina, in

para-

paradiso typico, in nuptijs Cœnæ, in Cœna Christi. Electis hæc aqua vertetur in vinū, in sanguinem Christi. Damnatis vertetur in ignem sulphureum. Pſal. 10. 74. iuxta typum maris Asphaltici, in quod fluit Iordanis. Eadem aqua Beatis erit salutaris, Damnatis erit exitialis.

In medio plateæ eius ex utraq; parte fluminis) euiq; obuium, promptum, & liberum cibū.

Lignum) pro arbore, ſingulare, pro plurali eiusdem ſpeciei.

Vitæ) Per ſe, ſemper virens, florens, & fructificans, vitamq; veſcentibus præſtans, iuxta typum arboris vitæ, in typico paradifo. Panis vitæ & ſacramentalis. Ioan. 6.

Ferens fructus duodenos) multiuarios pro cuiuſq; deſiderio, vt manna, panis vitæ.

Per menses ſingulos proferens fructum ſuum) ſemper recentem, ſapidum, & ſalutarem.

Mentione Menſium, indicat totius creationis manſionem, ſed in excellentiori potentia, hîc meſſis eſt tantum ſingulis annis, ibi erit ſingulis menſibus, ſua ſponte, ſine noſtro labore, & cultura.

Item, vterq; eſus & potio ſignificatur corporalis, & ſpiritalis, non propter famem, & ſitim, ſed guſtabimus, quàm ſuauiſ eſt, Dominus, ad perpetuam gratiarum actionem, Luc. 22. Edetis ſuper menſa mea in

regno meo. Item, Non bibam de genimine vitis huius, donec bibam vinum illud nouum in regno patris mei.

Arbor vite, & vitis, panis vite, de cœlo descendens, Christ⁹ ipse est. Eius fruct⁹, sunt eius opera, pro nostra salute, & vita æterna, effecta. Incarnatio, passio, resurrectio, &c.

Et folia arboris, sunt ad sanitatem gentium) Folia conseruant fructus in perpetua viriditate, & vigore, perpetua erit mentio beneficior^{um} Christi, de reconciliato Deo, expiato remissoq; peccato, victo Sathana & morte, ad perpetuam sanitatem, & salutem omni^{um} gentium, hominum, beatorum.

Omne maledictum) Sathan, Serpens, Draco, Bestia, Meretrix, Pseudopropheta, peccatum, mors, impiorum permissio, vitiosa natura, & quicquid æterna gaudia turbet.

Non erit amplius) in ciuitate cœlesti, quem admodum fuit in ciuitate terrestri. Ecclesia ne quid metuamus à futuris malis, & imposturis vnde rursus ex hoc paradiso cœlesti eijciamur.

Sed thronus Dei) patris. & Agni) Christi. *ibi erit*) fruemur perpetua præsentia, & tutela Dei patris, filij, & Spiritus sancti, in æterna eius contemplatione, vt in perpetua aula regia.

Et serui eius seruiant ei) perpetuo cultu, prompta

prompta reuerentia, obedientia, laude, & gratiarum actione.

Videbuntq; faciem eius) in æterna præsentia, fruemur æterno conspectu, contemplatione & cognitione Dei, quæ est vita æterna Ioan. 17. abundantia gaudiorum, Psa. 20. Videbimus eum facie ad faciem, & cognoscemus eum, vti cogniti sumus. 1. Cor. 13.

Et nomen eius in frontibus suis) in publica, & libera professione, Sup. 14. A Deo, omnes Diuini, à Christo, omnes Christiani, vt nominis, ita & eius essentiæ, naturæ, sapientiæ, iusticiæ, vitæ, potentiæ, & gloriæ participes, hîc inchoatiue, ibi perfecte. quisq; pro suo modo, & mensura. Erimus sicut ipse est

Neq; nox erit ibi) quæuis obscuratio.

Neq; opus habent candela) aliunde allata, aut subministrata illustratione, cognitione & consolatione.

Neq; lumine Solis) huius quasi ille Sol æternæ iusticiæ aliquando deficeret, aut pateret defectum.

Quoniam Dominus Deus illustrabit eos) qui est lumen reale, absolutum æternum, nunquam deficiens. non creatû, vt hic aspectabilis Sol.

Et Regnabunt in secula seculorum) Est finis totius narrationis, & auxesis de felicitate æterna, quasi dicat, Nos huius sanctæ,

cælestisq; ciuitatis ciues, & domestici ei in hac felicitate non tantú viuemus, & fruemur ea, vt angeli, & cæteræ animatæ creaturæ: sed vt filij, & hæredes Dei, cohæredes, Christi, regnabimus cū Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto in pari gloria, felicitate, libertate, & dominio, in libera & vera fruitione & vsu omnium creaturarum, prompta earū obsequentia, & obedientia, æquè vt Deus ipse. Et) post absolutam Apocalypsin, seu reuelationem. *Dixit mihi*) Angelus mystagogus pro commendatione Libri. *Hæc uerba*) totius Apocalypsis. *Fidelia & uera sunt*) vt cætera oracula, in effectu experienda, non piè meditata, aut conficta, Apocripha.

Dominus enim Deus sanctorum prophetarum) Ratio, pro confirmatione ab eius auctore Deo, qui veteribus prophetis sua oracula reuelauit, idem. *Misit Angelum suum*) mystagogum, cum cæteris actoribus: ergo pari autoritate & fide hæc oracula habeantur.

Vt ostenderet seruis suis) ministris verbi.

Quæ oporteat fieri citò) ab hinc continua successione.

Eccè uenio uelociter) ad executionem.

Beatus) felix, faustus, fortunatus, & saluus est.

Qui custodit) obseruat, in meditato habet

Verba prophetiæ libri huius) de Christi & Antichristi controuersia. De forma & fortuna Ec-

na Ecclesiæ extremæ, vt maneat constans in doctrina Christi, ne seducatur ab Antichristo, & pereat cum ipso. Epilogus conuenit cum Propositione. Ego Ioannes audiui & uidi hæc) auritus, ocularisq; testis, profirmanda fide, apponit nomen suum, ne suspicemur ab alio (Cerintho) conficta.

Postquam audissem, & uidissem) reuelata oracula, postquam intellexi nihil superesse.

Proci di ad pedes Angeli, ut adorarem) vt eum reuerentia, tanquam Dei ministro gratias agerem.

Qui mihi hæc ostendebat) diuina oracula.

Ac dicit mihi) in modestè recusans sibi oblatum incongruum honorem.

Vide ne feceris) ne committas idololatriã.

Conseruus enim tuus sum) non Dominus: quamuis vt mystagogus, inter agendum, eius maiestatem representauit. Et Fratrum tuorum prophetarum) in ministrorum uerbi.

Atq; eorum reliquorum piorum qui seruant uerba prophetiæ libri huius) vt sibi caueant ab Antichristo. Deum adora) cui soli conuenit adoratio. Translatio honoris. Et) pro singulari mandato, dicit mihi, Ne ob signaueris uerba prophetiæ libri huius) vt olim Danieli est mandatum. Dan. 12. Quia Christus eius signacula resignauit sup. 5. apertumq; tradidit Ioanni, sup. 10. Peccant ergo. qui vetant

huius libri lectionem, meditationem, & commendationem eius.

Tempus enim) eius executionis. *Prope est*) instat, incipit, nobis iam ferè præterijt. **¶** *Qui nocet, noceat usq;*) permilsiuè dum moneri, aut prohiberi non vult nec potest commendando Christo vindictam. *Qui sordet, sordescat*) dum emendare nequit. *Qui iustus est, iustior fiat, et qui sanctus est, sanctior fiat*) proficiendo, non est in vestra potestate, aut officio, quemq; cogere, aut prohibere, modò vestrum officium faciatis. *Ecce, uenio citò*) ab inopinato, cuiq; in sua morte, aut iudicio extremo. *Et merces mea mecum est, ut reddam cuiq; secundum opus suum*) bonum, aut malum. *Ego sum a & u, primus & nouissimus, principium & finis*) periphraſis Dei Christi solius, per quem, & propter quem omnia fiunt. Prouerb. 16. Sup. 1.

Beati qui seruant mandata eius) fidei, & dilectionis. *Vt potestas eorum sit in lignum uitæ*) vt habeant libertatem vescendi de arbore vitali, & versandi in vero paradiso, cuius ingressum aperuit Christus sua morte. Matt. 27. *Et per portas intrent in ciuitatem*) illà celestem de qua suprâ. 21. vt salui, & beati sunt.

Foris autem) extra ciuitatem, Ecclesiam electorum. *Sunt canes*) mordaces blatratores aduersus Deum, Christum, & Euangelium.

lium eius, *sophistæ, sycophantæ. Venefici, impudici, homicide, idololatæ, et omnis qui amat, & facit mendacium*) literaliter, & spiritualiter intelligendo, sceleratè, & obstinatè impij, contra conscientiam ruentes, in Spiritum sanctum peccantes, suo ipsorū iudicio damnati. Ego Iesus) author huius reuelationis, & libri. *Misi Angelum meum*) mystagogum cum cæteris adiunctis.

Vt testaretur uobis hæc, *Ecclesijs*) præsentibus & in posterum futuris. Causa efficiens, instrumentalis, & finalis, iuxta propositionem. Ego sum radix, & germen *Dauidis, stella splendida, & matutina*) periphrasis Dei, & Hominis. *Spiritus*) p̄ ministros Euangelij. *Et Sponsa*) Ecclesia. *dicunt*) ex intimis votis. *Veni*) Domine Iesu Christe, vt nos transferas ex hoc sceleratissimo mundo, in tuam sanctam ciuitatem. *Et qui audit*) hæc oracula, de huius mundi malicia, & de æterna felicitate. *Dicat, ueni*) adiungat sua vota, ad maturationem.

Qui sitit, ueniat, & bibat, & qui uult accipiat aquam uitæ gratis) accedat in tempore gratiæ quærat Dominum dum inueniri potest, accipiat gratiam, & remissionem gratis, sine aliquo eius præcio, aut merito. *Iess. 55.* ne sua ipsius culpa, negligentia, & contemptu, in æternum excludatur. Fidelis cautio est

his postremis temporibus.

Contestor autem omni audienti uerba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas, scriptas in libro isto, & si quis ademerit à uerbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius à libro uitæ, & à ciuitate sancta, et de his, quæ scripta sunt in libro isto.) Est seria, grauisq; assertio huius Apocalypseos, pari cum uerbo Dei autoritate, cui Deus prohibet quicquam addere, aut adimere. Deu. 4. Prouerb. 30. Aduersus sciolos, qui hæc oracula præiudicant ut apocrypha, piè meditata, aut humana commenta, quod à pluribus veteribus, & nouitijs factum est, & fit adhuc. Dicit, qui testatur hæc) Christus. Certè, uenio citò) breui post hæc, nō morabor.

Amen, etiam) dicit Iohannes, & quisq; pius.

Veni Domine Iesu) ad saluandos nos.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, sit cum omnibus uobis, Amen) est Apostolica clausula, & ualadictio, etiam Paulo usitata in omnibus suis Epistolis, ad suas Ecclesias, & quosque pios lectores.

Omnia huius Apocalypseos oracula, inuenies in effectum producta, si con-

feras ad experientiam, saltem re-

stat extremum prælium

de quo sup. ca. 11. 16. 19.

F I N I S.

PROTOMARTY-
RIVM HABELIS DE
C^HRISTO. MATH. XXIII. IN
QVO DE PRIMA, VERA VETERI, ET
perpetua Ecclesia, eiusq; forma, & for-
tuna in Mundo, ab initio, vsq; ad
finem eius. Ex quarto
capite Geneseos,
SERMO.

Per Petrum Artopeum.

*Cogitur Habel quisq; suum sufferre Cainum,
Diucxat fratrem frater, & ipse necat.
Christum nobiscum qui prædicat, attamen atrox,
In fratrem seuit, dixeris esse Cain.*

Argumentum.

PRima Ecclesia typum præbuit perpetuæ Ecclesiæ Christi, de eius forma & fortuna, vsq; ad finem mundi. Antichristus Christo in doctrina & vita contrarius, fuit, ab initio personati Serpentis, & Cainismi, perpetua successione Gentilismi, vsq; dum ad extremum, regnum instituit 1260. annorum in Christianismo, sub Christianismi hypocrisi, Gentilismo ad Christianismū conuerso, Constantini conuersi tempore. Similem q; sortietur tragicum exitum, simile q; iudicium extremum. Non ergo leue fuit Protomartyrium Habelis, quod pinxit omnia in posterum piorum martyria. Ideo q; Spiritus sanctus eius subinde in literis sacris meminit, magnifice q; prædicat, vt pios in suis martyrijs confirmet, & nos à simili Cainismo nostro, (quem non simpliciter papismum intelligas.) cauendo commoneat.

De

DE PRIMÆ, VERA,
VETERI, PERPETVA, ET
catholica Ecclesia, eiusq; exordio, for-
ma, & fortuna in Mundo, ab eius i-
nitio, ad finem vsq;. SERMO, ex
quarto capite Ge-
neseos.



Adam cognouit Heuam, uxorem su-
am, quæ impregnata, peperit Cainum
ac dixit, Habeo Virum, Ihouam. Ad-
ijciensq; peperit fratrem eius Habe-
lem: fuit Habel pastor gregis, Cain erat agricola.
Et factum est, à fine dierum, attulit Cain de fructu
agri, oblationem Ihouæ. Habel attulit quoq; de pri-
migenis gregis sui, & de pinguioribus eius. Respe-
xit autem Ihoua ad Habelem, oblationemq; eius.
Ad Cainum uerò, oblationemq; eius, non respexit:
Ideoq; excanduit Cain uehementer, conciditq; uul-
tus eius. Dixit Ihoua ad Cainum: quare excandescis
tecum, & quare collapsus est uultus tuus? Nonne,
si bonus fueris, esset leuatio, quandoquidem bonus
non es, ad patefactionem peccatum cubat: sed ad te
fit conuersio eius, tuq; domineris in illud. Dixit ita-
que Cain ad Habelem fratrem suum.

Factumq; est, cum essent in agro, insurrexit Cain
aduersus Habelem fratrem suum, & occidit
eum. Et ait Ihoua ad Cainum, ubi est Habel,

Querela ce
postulat
uindictam.

frater tuus? inquit (Cain) Non scio, num custos fratris mei sum ego? Ait, (Ihoua) quid fecisti? uox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ergo maledictus sis à terra, quæ aperuit os suum, ut acciperet sanguinem fratris tui, de manu tua, Cum colueris humum, non adijciet dare uim suam tibi: uagus, et exul esto (excommunicatus non in cælo, sed) in terra. Inquit Cain ad Ihouam: Maior est iniquitas mea, quam ut leuetur. Ecce, eiecisti me hodie à facie terræ, et à facie tua fugam, eroq; uagus, et exul in terra, ac fiet, ut omnis, qui inuenerit me, occidat me. Inquit ei Ihoua, Imò, quicumq; occiderit Cainum, septemplex uindicabitur. apposuitq; Ihoua Caino signum, ne percuteret eum, quicumq; inuenerit eum. Abijt ergo Cain à facie Ihouæ, ac habitauit in terra, Nod, uersus orientem Edenis.

Corre&io

A Eternus Dominus Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Vnus in essentia, Trinus in Personis, post communicatum, & absolutum æternum suum consilium, de Rerum omnium ex se creandarum idea, proprietate, & destinatione, earumq; ab æterno interitu vindicatione. Postquam verbo, id est, Filio Dei humana idea appa-
rente, & uocaliter loquente, creando absoluit omnia, & singula, alia suo numero absoluta, ut Spiritus, Astra, & Elementa. Alia autem animata, vegetatiua, sensitiua, & Rationalia,

alia, iuxta suam Speciem, vsq; ad destinatum à Deo numerum, generatione propaganda produxit. Postulavit ab omnibus tam liberis, quàm seruis creaturis, absolutam, & æternam obedientiam, & conformitatem. Quam cum magna pars spiritualis Creaturæ primùm obstinatè recusauit, ex Angelo, id est, bono nuncio, factus Sathan, Deo aduersus, Diabolus, Sched, Apollyon, omnium verborum Dei calumniator, omnium operum Dei dissipator, turbator, & deuaſtator, ex prima personatione Serpēs, nunc ex vetustate Draco magnus, Fera Bestia, perpetuus Dei, Christi, & Ecclesiæ hostis, mendax & homicida, Domino ita propter datam rectæ rationis libertatem, vsq; ad vniuersale iudicium, permittente, verbum Dei, ad Hominem (incarnandi Christi typum) de præstando suo officio factum, maliciosè & mendaciter calumniatus, & interpretatus, plausibili persuasione ad peccandum subuertit Hominem. Ideoq; maledictus absolutè, Homo autem propter excusationem, & pœnitentiam secundum carnem castigatus, ad gratiam assumptus est, cum adiuncta promissione de semine Mulieris, vero Homine, serpentis istius contritore nascendo, quemadmodum primis tribus superioribus capitibus disertè declaratum est. Serpens itaq; seu quacunq; forma

personatus Sathan, est declaratus, & manifestus Dei, Christi, & Ecclesiæ hostis, abiectus, & damnatus: attamen speciosa personatione, circumquaque serpens, & se insinuans ad tentationem, hoc est, aduersus Deum, Deiq; verbum sollicitationem. Domino vtrobiq; ita permittente, propter datam rectæ rationis libertatem, ad explorandam officiosam Hominis erga Deum obedientiam, constantiam, & conformitatem,

Dominus itaq; iecit primum humanæ salutis fundamentum, vocaliter verbum suum pronuncians de Mulieris femine. Serpentis contritore, sine indiuidui declaratione, Adam & Heua ex verbo Dei de femine, veram iustificantem Fidem conceperunt. Semen illud, oportere Deum & Hominem, in vna indiuidua persona esse. Sunt autem primæ Ecclesiasticæ personæ hoc loco descriptæ, videlicet Ihoua, Adam, Heua, Cain, Habel, & Serpens, quæ præstantiores totius in posterum Ecclesiæ personas seu principales partes figurant.

Ihoua refert vocale verbum Dei, eiusq; Ministerium & Ministros. Adam, & Heua Ecclesiam in mentis synceritate, imbecillitate, & erroribus. Cain figurat Ecclesię primogenitos, primarios, præstantiores, heroas ordinariam potestatem, abusuè falsos fratres, reiectaneos, ex primis postremos

Anti-

Antichristum, Hypocritas, Apostatas, & Synagogam Sathanæ. Mancipia Diaboli. Habel refert extra ordinarios nouitios, posterogenitos, priuatos, extremos, infimos, & nouissimos viros vulgus, obscuros, abiectos, viles, vanos, nullius æstimationis ex vltimis primos, consequenter, Christum, Christianos, Martyres, Orthodoxos, & veram Ecclesiam.

(Serpens) Sathan refert seipsum personatum, blandum, sinuosum, perpetuum Christi, eiusq; Ecclesię hostem, primũ Serpente, postea homine personatus Adam & Heua de persona & officio Saluatoris certificati ex verbo Dei, quòd Ihoua, Deus ipse, atq; adeò ipse, qui vocaliter in humana forma loquitur, verbum & Filius Dei, ex absoluta erga Deum reuerentia, & conformitate, esset ex Muliere incarnandus, verus Deus, & Homo indiuiduè in vna Persona, qui iuxta destinatum à Deo Patre officium, Pontifex, & Rex totius Mundi, sua morte, & Resurrectione absolutam & æternam suam erga Deum Patrem declararet reuerentiam, & conformitatem, qui cum sit summus, ad infima se demittens, conteret superbum Caput Sathanæ, Hominisque reatum coram severo iudicio Dei expiaret, totamque rerum creaturam ex huius vitæ mutabilitate transferret in veræ & æternæ

perfectiōnis Paradisum, suoq; Spiritu rege-
ret & sanctificaret in æterna, & absoluta er-
ga Deum obedientia, & conformitate, hęc
inchoatiuè, donec eam absolueret in æter-
nitate.

Habent itaq; veram iustificantem Fidem
de Saluatoris Persona & officio, qua Deū
Saluatorem ipsum concipiunt, & in mente
intimum habent, ex Muliere incarnandū.
Postquam primus, purus, & iuxta creatio-
nem præstantissimus Homo, Adam, hoc
non possit, nisi accedat Deus ipse ad huma-
nitatem, quomodo autem accederet, non
erat expressè, & disertè reuelatum, mansit-
que tectum, & tacitum, donec ipsa Virgo
Mater ex Angelo modum quæreret. Ideo-
que modum, rationemq; Deo relinquunt,
ac faciunt iussa coniugij officia. Et quam-
uis nesciant, huius ne, an alterius in poste-
rum Mulieris semen sit. Et quamuis de Mu-
lieris tantum, non de viri Semine dictum
sit, non posse tamen humanam generatio-
nē, absq; geniali congressu fieri sciunt, & pu-
tant. Ideoq; ex fide verbi pmissi, & ex man-
dato coniugali congregiuntur. Errant er-
go, non in fundamento, sed in indiuiduo.
Errant quoq; non in re ipsa, sed in modo.
Atq; hic error, est totius in posterum sum-
mæ, & perpetuæ controuersiæ, & calamita-
tis causa & origo, non Deo, non reuelanti,
sed

sed Adæ, modū à Deo non quærenti, quòd Maria vera illa Mulier fecit, imputanda. Imprudenter ergo, non maliciòse tamen, sed perniciosè utiq; Ecclesia, ab initio, & in posterum semper erravit negligentia, & falsa opinione. Nec tamen ideo abiecta & damnata, sed duriter afflicta, & castigata est. Quo consilio autem Dominus permiserit primam Ecclesiam suam in hac sinceritate errare & labi, & Spiritus sanctus, non equè his atq; Mariæ virgini Matri, dedit de modo quærendi prudentiam, adoremus potius, quàm scrutemur, ac referamus in catalogum absolutarum, & secretarum actionum Dei, quarū nullam necesse habet reddere nobis rationem, atq; oremus potius, ne nos inducat in tentationem, sed præseruet, & liberet nos ab imprudentia, & malo. Neq; petulanter incusemus, sed modestè excusemus potius, primos Parentes, in hoc errore, & imprudentia, propter recuperandæ amissæ felicitatis cupiditatem, ac cogitemus, neq; nos potuisse, nec posse in huius modi casu egisse, & agere aliter.

Sed postquam hæc opinio primos Parentes fefellit in Caino, & compertum est Deū Salvatorem non ex peccatrici coniugali congressu, attamen ex coniugata Muliere, virgine, qualis Heua fuit ante lapsum, nascendum esse. Atque utraq; personas Ma-

trem, & Semen eius, oportere primogenitos esse. instituta est primogenitorum, Nazareorum, & Almarum segregatio, & sanctificatio Domino, vt haberet in promptu destinatas personas, ex quibus eligeret quocunq; tempore pro suo consilio, quoslibet. Quod utiq; institutum approbavit, & certa lege confirmavit Dominus, Num. 6. Ideoq; coniugalia exequuntur à Deo mandata officia. Est itaq; Homo principaliter creatus & matrimonium institutum, propter Filij Dei incarnationē. Deinde propter pudicitiam, & piam humani generis propagationem, vt certificaremur de eius stirpe & pro genie. Et quod eius Matrem oportuit esse virginem sacram & conjugalem iuxta typū primi matrimonij in Paradiso, ante peccatum, quòd iam in Heua fieri non potest.

Adam cognouit Heuam uxorem suam) Ingre-
di, & cognoscere vxorem, Ebræa, diuina, ve-
recunda, pudica, ideoq; honesta, & imitabi-
lis, longeq; melior, quàm aliarum lingua-
rum phrasis est, de energitica, conjugali co-
pula: & significat non tantum speculatiuā,
& à facie, noticiam, sed cū experientia con-
iunctam, quemadmodum & ipsum solum
uerbum cognoscere, apud Ebræos ידע Iada
noticiam cum experientia coniunctam
plerumq; significat, etiam in alio vsu, vt Ge-
nē. 22, Nunc cognoui, quòd timeas Deum.
Iere. Omnes cognoscent me. Ioan. 17. Hæc

est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christũ. quę est efficax, & operatiua cognitio, secundum præsentiã, inhabitationem, & renouationem Spiritus sancti, Luc. 2. Virũ non cognosco. Quę cognitio est creatura & ordinatio Dei, omnibus generatiuis creaturis per benedictionem, seu fœcundationem indita, neutiquam viciosa per se. Quia Deus est naturalis flammę author, dũ dixit, Crescite, **וְאִישׁ** vir, ab **וְאֵשׁ** igne, quòd vir naturaliter ardeat ad geniturã, & **וְאִשָּׁה** vxor quoq; sentiat illam flammam, inde Paulus, melius est coniugari, quàm ardere, 1. Cor. 7. Genialis ergo ardor, & actus, non est vitiosus, si fiat iuxta constitutionem Dei, & decenter. Quòd autẽ Dauid dixit, in peccatis concepit me mater mea, dixit ratione accidentis peccati. Et quamuis per accidens peccati accessit inordinatus, intemperansq; pruritus carnis, longè tamẽ distinguenda est creatura Dei, à vitioso eius accidẽte. Ipsa enim creatura, & ordinatio Dei in hoc actũ, & officio, æquẽ naturalem suum appetitum, & affectum habet, atq; esuries & sitis, vt secundũ creationem Dei, æquẽ honesta actio sit, cognoscere vxorem suã, atq; esus & potus. Sed postquã per peccatum accessit vitiũ in temperantię, etiam in sanctis, ideoq; verecundiã, & pudorem apud pios & honestos,

etiam gentiles peperit. Et quamuis coniugium honestus actus est per se, atq; etiãsi nunquã accidisset naturæ vitiũ, vtiq; tamen mãsisset verecundus, segregatus, non Cynicus, nec pecuarius eius vsus. Atq; ordinatus huius operis actus propria, prima, vera, diuina, & honesta phrasi appellatur, ingredi ad vxorem, cognoscere vxorem, & virum suũ. Impropiè, & abusiue quoq; aliquoties vsurpatur, vt Simson ingressus est ad Dalidam. Dauid ingressus est ad Barsabæam. At tamen diuersus, inordinatus, & intemperãs huius operis actus, æquẽ vt aliarũ actio num abusus, & intemperantia, est inultorũ peccatorum, ita & pœnarum, morborum, mortisq; causa: ideoq; Deus serio vetuit ingredi ad puerperam, & menstruosam, propter monstrosos, & debiles partus, diuersas que sortitur appellationes, vt adulterium, incestum, fornicationem, scortationem, vagam venerem, masculam venerem, immundiciem. Cæterũ ab hac diuina ordinatione & vsu exempti erant Eunuchi, Euirati, Spadones naturaliter, artificiosa, aut propria sponte, aut destinatione donationeq; diuina facti. Matt. 19. vt Nazaræi, & Almæ, ad diuinam Christi generationem, & officium destinati, vt Maria inquit ad Angelũ Lucæ. 2. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Quòd supernaturale & diuinum

diuinum, ad naturam oportuit accedere, i-
ideo inquit Angelus. Spiritus sanctus, su-
perueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod nascetur ex te sanctū, vocabitur Filius Dei.

Vxorem suam) Non est ociosa appositio, sed propter sacri coniugij proprietatem, & primam institutionem, aduersus digamias, & polygamias gentiles, quæ non in sancta familia Adæ, sed Caini initia sumpserunt, primū per Lamech: quem morem, & abusum, post Diluuium, nisi quid absurdus, imitatus, induxit Cham; & per accidens, rerumq; commertia serpsit quoq; in Sanctorum Ecclesiam: atq; Deus propter necessarios casus dispensando concessit in sanctis, vt Abraham, Iacob, &c. concessioq; vno inconueniente, per exempla, secuta sunt plura, & infinita, adeo vt Salomon innumeras ferè haberet vxores & concubinas ex vicinis regibus, & Satrapis, propter regni sui pacem, & amplificationem, ex affinitatibus. Atq; ita hic mos perpetuo, & hucusq; seruatur in orientalibus regionibus, vt totidem, quot dotare possunt, ducant vxores, prout ferunt opes. Apud nos autem in occidentalibus oris, quas Noah, aliàs Ianus, ab origine instituit, prima & diuina institutio coniugij obseruata, & legibus confirmata est, ne multiplicatis vxoribus, diffusus dis-

soluatur amor coniugalis, variæq; vitentur lites. Ideoq; Christus Iudæos de repudio castigās, inquit. polygamias, & repudia, propter cordis duritiem, & maritorum immanitatem concessa esse, ab initio autem seu primi coniugij institutione, non sic fuisse. Mat. 19.

Suam significat coniugij proprietatem, libertatem & officium, excludit polygamias, vagam venerem, scortationem, adulterium fornicationem, & quamlibet immundiciã beluinã. Ideoq; Paulus inquit. 1. Cor. 7. Propter vitandam fornicationem, quisq; suam vxorem, quæq; suum maritum habeat. Qui potest continere contineat, qui non potest, ducat vxorem in Domino, melius est ducere, quàm ardere. Non omnes capiunt hoc verbum, continere, nisi quibus datum est. Mat. 19. Nō possum esse continens, nisi Deus det. Sap. 8, de virginibus, id est, Almis Vestalibus, segregatis, clausis, monialibus, præceptum Domini non habeo, inquit Paulus. 1. Cor. 7. Vtriq; tamen & ipse habuerunt suam nubendi libertatem, quod in Maria virgine coniugata cōprobari potest. Paulus 1. Tim. 3. Episcopo aut ministro Ecclesiæ, tantum vnam concedit, si quam ducere libet vxorem, propter vitandas domesticas contentiones, & zelotypias. Eam papistica factio interpretatur, vnam parochiam, aut præbendam. postquam canone vetuit sacris ministris

stris coniugium, quæ est certa nota Antichristi. I. Tim. 4.

Quæ impregnata, peperit Cainum) Ex congressu vno ne, an pluribus, conceperit Heua, & gemellos nê, an singulos seorsum pepererit, hinc satis liquido cõprobari nõ potest, verisimile tamen est ex vno, gemellos, ratione firmioris naturæ, & ætatis. Quemadmodum Thamar ex Iuda, & adhuc in aliquot brutis fortioris naturæ comperimus. Multi iterati congressus faciunt irritos conceptus, debilitant naturam, exhauriunt radicale humidum, faciunt monstrosos aut debiles partus, & senectam accelerant. Rara venus verecundior est, viresque conseruat, parit firmiorem prolem. Ideoq; lege vetuit Dominus menstruos congressus, propter debiles, & deformes partus. Crebros congressus irritat vitiata natura, pruritus carnis, inuerecundia, ætas, amor, venter, seu gula, indulgètia concupiscentiæ, ppter dormitione, & abusus cõiugij, quæ pijs temperantius sunt agenda, quemadmodum Raphael angelus monuit Tobiam iuniorem. Duæ enim sunt coningij causæ finales, & principales. Proles, & Pudicitia, propter vitandã scortationem, quisq; suã habeat vxorem, quæq; suum maritum. Sũnt qui adfirmant, masculos plurimum nasci, si fœmininum semen præcedat masculinum, poste-

rius priori forti⁹ esse, & præualere, maximè si ex latere dextero fluat viro, & mulier inlatus dexterū post congressum inclinet. Sunt qui adfirmant experientiam, quæ comprobari potest, in vxorib⁹ Iacob, & Thamar. Ni diuina destinatio aliud statuit de certis, certi sexus personis: vt de Simfone, Cyro, Iohanne, Christo, &c.

Cain ab acquirendo, possidendo, & habendo nomen habet, à radice, קַיִן kana possedit, acquisiuit, adeptus est, habet. Inde קַיִן Cain heroica vox, de præstantiore sospitatore, impense desiderato, respectiua ad Christum promissum, fide expectatum & sedulò desideratum Saluatorem. Ideoq; additus est articulus emphaseos נָח.

Ac inquit, Habeo Virum, Ihouam) Læta, & gratulatoria sed intempestiua exclamatio est ad Maritum Adamum, pro eius exhilaratione, de recuperanda amissa felicitate, ex fide promissionis, de Saluatore, ac si diceret, *Eia mi Vir, desine iam tristari, & lugere, Ecce habemus quem Deus promisit nostræ Salutis instauratorem.* Sunt veræ fidei verba, de uero Saluatore Deo & Homine, sed improprio indiuiduo applicata.

Putabat infelix & misera mater Heua, hunc suum primogenitum, eundem ipsum Ihouam esse, qui ea promiserat, iam ex se natum esse, postquam in posterum non legitur

tur comparuisse, donec disceptantes diremit per sacrificium cœlitus incensum.

Quod ad grammaticam attinet, quæ quoque multum lucis ad intelligendam veritatem adfert. קניתי איש אה יחיה. Habeo Virum, Ihouam, apud Ebræos appositio est, duorum substantiuorum, eiusdem casus, Non regimen substantiuorum, quorum alterum est genitiui casus, vt quidam variè legunt, & miserè torquent constructionem, vt Habeo virum Domini, alij, Possedi Virum à Domino, alij, per Dominum. Quasi esset alius, quam qui promisit. Vera sententia indicat eundem esse, qui promisit, nempe Ihouam: Quæ sententia integrè includit articulum iustificationis, & est fundamentum omnium in posterum prophetarum, de Persona & Officio Christi, quòd secundum Personã esset vir & Ihoua, verus Deus & Homo, in indiuidua persona, immortalis, & immortalis, qui secundum suam mortalem humanitatem pro nobis passus & mortuus sua diuina immortalitate reuiuisceret, totumq; Mundum morte extinctum ad vitã & gloriam æternam resuscitaret. Non tantum diuinus, vt plurimi sancti, aliena, seu diuina virtute præstantes, alios, non tamen seipos resuscitantes: Sed Deus ipse Ihoua, Quæ vox est soli Deo propria & congrua, nullis hominibus, angelis, aut creaturæ cõ-

municata, vt cæteræ voces Elohim, & Adonai, Deus & Dominus, diuinis hominibus, & angelis propter officium & fidem communicatæ. Ideoq; malim, & plurimum prodesset hanc vocem Ihoua propter eius dignitatem, & differentiam, sua propria voce reddi & pronuciari in totis, & omniũ linguarum biblijs quemadmodum eam vocem Noah apud Latinos instituit, & vsu firmavit. Atq; in hoc præstant Ebræa bilia, alijs omnibus biblijs, quòd has voces distinguant.

Secundum officium autem esset contritor serpentis, quæ vox includit pariter eius Sacerdotium, & Regnũ. Sacerdotiũ, quòd esset futurus pro nobis patiter Sacerdos & victima, qui sese offerret pro nobis Deo Patri consummatum Sacrificium, ad peccatorum nostrorum perfectã expiationem: cuius typũ referret Agnus paschalis, primũ ab ipso Ihoua, in ipsa sui promissione, corã primis parentibus, in Paradiso maectatus, & diuino igni in cœlum assumptus, ad significationem suæ mortis & resurrectionis, quod porrò omnia vetera & typica holocausta & oblationes legis significabant. Atq; ita toto mundo, corã severo iudicio Dei, per ipsum reconciliato, superboq; Serpentis capite, sua perfecta obedientia, sua morte contestata, deinde gloriosa suareurrectione, postre-

mô gloriôſiſſimo & ſeueriſſimo ſuo iudicio extremo, contrito: porrò Regnum ſuũ in vniuerſum inſtitueret, totumq; mundũ ſuo verbo, & Spiritu in æterna & perfecta erga Deũ obedientia, iuſticia, & conformitate regeret & adminiſtraret, ipſemet in ipſis ea diuina, hîc inchoatiuè, donec perficeret in æternitate. Ideoq; poſt reſurrectionẽ inquit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ideoq; præſtantiſſimæ huic Perſonæ præſtantiſſimi Officij, additur ap- poſitionis, & emphæſeos articulus אֵל, ad ſignificandam eius Perſonæ & officij excellen- tiam. Quas duas vtriuſq; naturæ & officij voces אֵל & אֱלֹהִים poſtea iubente Domino Angelus Gabriel, in vnam vocem אֱלֹהִים aut אֵל Iheſus contraxit. Toto Chriſto, ſe- cundum Perſonam & officium, verbo & fi- de cuiſibet applicato, imputato, appropria- to inhabitante, & operante perfectam obe- dientiam, conformitatem, iuſticiam, ſapien- tiam, vitam, & gloriam æternam.

Totam hanc, adeoq; maiorem cognitio- nẽ de Chriſto primi Parentes ex prima pro- miſſione habuerunt, nihilq; errauerunt in fundamento, ſed in eius applicatione, quẽ admodum etiam hodie Iudæi errant. Sed ipſi tandem de errore conuiçti, correxerũt opinionem: hi autem conſciũ errorẽ obſti- natè defendũt, contemnũt, calumniantur,

& blasphemant meliorem interpretationē. Quare autem tā prolixè Dominus eos per miserit errare, nec simul addidit veram interpretationem, tantumque in posterum malum auerterit metuamus potius, & adoremus, quàm scrutemur iudicij Dei abyssum. ac oremus pro veritate, neue obduremus corda nostra ad meliorem interpretationem in quocunque vilissimo Habere. Cuius veriore intellectum, & interpretationem quia Parentes negligebant, ideoq; in tantum luctum inciderunt, atq; ipse Cain in sensum reprobum, apostasiam, & obstinationem, vt totius mundi diluuium tandem attraxit. Idem quia hodie facit Cainica nostra Synagoga, futurum est, vt breui totius Mundi Diluuium ignis attrahat. Dominus suum nobis pronunciat Verbum, Interpretationem eius nostre relinquit inquisitioni, vt maneat in nobis perpetuum sui verbi studium. Beatus qui in lege Domini meditatur die ac nocte Psal. i. & plerumq; per infimos, & viliores reuelat. Iuxta illud, Psal. 19. Ex ore infantium & lactentium perfecisti fortitudinem. Matt. ii. Confiteor tibi Pater cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

Rationes autem quæ adduxerint primos Parentes in hac de Caino opinionē, quòd
ipse

ipse esset illud Semen promissum, plurimæ fuerunt. Deus clemens, & misericors est, nostræ salutis studiosissimus, Primogenitus masculus est, post promissionem proximus, totius humanitatis primogenitus, ideo ipse ille incarnatus Deus est.

Quòd autem Cain totius humanitatis primogenitus non fuerit, pauca adijciam de multiuaria primogenitura Christi, ipsi soli propria & congrua, nullis hominibus communicata. Prima est ex patre. secunda iuxta ideam humanam. tertia, ex Verbo & fide. quarta, ex Virgine. quinta, ex Morte. Prima generatione ex Deo Patre in infinitum nascitur secundum plenitudinem diuinitatis, cuiusmodi filios Deus non nisi hūc vnum & solum habet, præterea infinitos alios filios ex participatione diuinitatis, per fidem in Christum Ioan. I. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Secunda primogenitura Christi, est iuxta ideam humanā, qua ante omnes creaturas apparens, typica suæ psonæ forma caput, principiū, & primogenit⁹ creature Dei, iuxta angelicam apparitionem, clarificato corpori similem, attamen proprietate differentem, qua uocaliter locutus, creauit Mundum vniuersum, & patribus collocutus est Coloss. I. Apo. 3. Vnde est quod inquit Salo. Prouer. 8. Dominus possedit me initio viæ

suæ. Tertia, ex Verbo & fide, qua natus est
 ex primis parentibus, ex prima promissio-
 ne, longè ante natū Cainum, qua quotidie
 nascitur in omnibus credentibus, ex qua
 promissione per fidem viderunt, & agno-
 uerunt Christum, ante conceptum & natū
 Cainum, iuxta quam rationem etiam Abra-
 ham vidit diem, id est, incarnationem Chri-
 sti, & gauisus est, longè ante eius incarnatio-
 nem. Ioan. 8. Quarta, est ex virgine verus ho-
 mo, cuiusmodi tota humanitas tantū hunc
 solum & vnum habet, nec habitura est aliū,
 & sine contagio peccati. Ebr. 6. qua natiui-
 tate Christus longè antecellit Cainum, &
 omnes filios Adæ. Quinta, ex morte primo-
 genitus, secundum humanitatem ad vitam
 æternam, sine omni redormitione corpora-
 li, quemadmodum redormierunt alij multī
 ex morte resuscitati. Ro. Mors illi ultra non
 dominabitur. Apo. 1. primogenitus mortuo-
 rum. Ideo q̄; ipse primus & solus ascendit in
 cœlos. Ioan. Nemo ascendit in cœlum, nisi
 qui descendit. Attestante Petro. Act. 2. Da-
 uid in cœlum non ascendit, consequenter,
 nec alij patres in morte Christi resuscitati,
 expectantes pariter omnes vniuersalem re-
 surrectionem. Solus ergo Christus est pri-
 mogenitus, & vnigenitus.

Christus, sibi primogenito, primogenita
 priuilegio sanctificauit, segregauit, & desti-
 nauit, ad typū suæ personæ, & officij, donec

ipſe veniret archetypus. Neue autē primogeniti propterea de prærogatiua ſuperbirent, & poſterogenitos præ ſe contemnerēt, ſemetipſum fecit poſterogenitum, ratione temporis, poſtremis temporibus natus in terris. Inſuper pro omnibus redimendis ſe ſe demittens in mortem, deſcendit ad infima vſq; tartara. Ideoq; ſuper omnia exaltatus adoratur, & glorificatur. Phil. 2. Porrò autem primogenitos ſua prærogatiua ſuperbientes, & alios præ ſe contemnentes abiecit, & in locum ipſorum exaltauit poſterogenitos deſpectos, & abiectos, vt teſtatur omnes hiftoriæ ſacræ & prophanæ, Angelorum, Caini, Iſmaelis, Eſau, Ruben. Primogeniti includunt & referunt omnes Ordinariorum, & præſtantiores in donis, officijs, miniſterijs, & dignitatib⁹: vt Regna, Monarchias, ciuitates. Tantū de Caino. ſequitur. *Et adiiciens peperit fratrem eius Habelm*) Primi fratres gemelli fuerint nec ne, liquidò non conſtat, nec plurimū refert. Hoc tamen cū i i genter obſeruandum eſt, iuxta hunc typū, nos Chriſti eſſe fratres, ipſe noſtræ humanitatis particeps, nos viciffim ei⁹ diuinitatis conſortes, & cohæredes. Item reſpectu Caini, & Habelis, pios, & impios ratione carnis eſſe fratres, ex eadē matre Ecclēſia genitos, ſed in maximè diuerſam ſortem tandē incidere, hos damnari, illos ſaluari reſpectu ſ. dei, & diffidentię, pietatis, & impietatis.

Quòd ad vocabula vtrorúq; attinet, Cain ab acclamatione materna, nomen sortitur, quasi sit is, quem ex Dei promissione, impensè desideratum acquisiuerunt Saluatorem totius salutis Mundi, reparatorem, Heroem, Heredem, & Caput Ecclesiæ. Ad cuius collationem omnes in vniuersum homines & creaturæ sunt inanes, vanæ vacui, inutiles, & merum nihil, nullius planè frugi ad salutem conquirendam. Ideoq; postero genitum appellauerunt Habelem, quæ vox vanitatem, vacuitatem, & rem euandam significat. Ita Cain, Christi, Habel, totius generis humani, totiusq; Creaturæ typum sustinet, meditatè quidem & piè ita à parentibus appellati, ad perspicuam articuli iustificationis declarationem, nisi in Caino fefellisset opinio. Hic iam habemus in vtrisque, totius Ecclesiæ personas principales. Cain, Christú, Ordinarios. Heroas, Pontifices & Reges. Habel vulgus piorum extra ordinarios, subditos & obscuros refert. Ideoq; vtrorumq; nomina Cain, & Habel in Ebræo adiunctum habent articulú emphaseos נֶחַם quasi sint maximarum rerú significatiua, quemadmodú Paulus ad Galatas. 4. de Isaác, & Ismaele argumentatur. Tantum de promissione Dei, & præstantioribus Ecclesiæ personis.

Iam porrò diligenter obseruanda est cu-

iufq; Fides. Adam & Heua credebant Cai-
 num esse illud benedictum, diuinum, gra-
 tum, & venerabile semen Mulieris, Saluato-
 rem Mundi, Heroem, & caput Ecclesiæ, re-
 paratorem amiffæ felicitatis, atq; in ea fide
 ipsum à primis annis instituunt, veneran-
 tur vt diuinum hominem, mollius, lautius-
 que tractant. Cain ea falsa opinione iimbu-
 tus, ex iinaginata felicitate insolescit, fra-
 trem suum Hablem, (abusiue eius nomen
 ad ignominiam torquens) vt vanum, vi-
 lem, nulliusq; frugi hominẽ præ se contem-
 nit, & scommatibus exercet, nullam adeò
 habet fidem, sed falsam opinionem, & phi-
 lautiam, dum se putat esse Saluatorem, co-
 gitat se esse orthodoxum, & catholicum:
 dum secundum Parentum fidem, & doctri-
 nam est institutus: Hablem autem dissen-
 tientem æstimat pro apostata, & hæretico,
 phanatico, & priuata opinione swermerũ.
 Habel autem fratris sui inspiciens mores,
 vt diuino viro incongruos, contumeliæ pa-
 tiens, cogitat ipsum fratrem nequaquam ef-
 se posse Saluatorem mundi, atq; ita certis
 rationibus, & collectis circumstantijs defle-
 ctit, ab eo fiduciam conquirendæ salutis, fa-
 cit suas pecuarias operas à patre destina-
 tas, atq; expectat alium Saluatorem.

Simillima ratione Cainici nostri, sua opi-
 nione catholici & orthodoxi, nihil ininus

cogitant, quàm de vera iustificante fide, & vero Scripturæ intellectu, quem se putant habere intimum, & absolutum, plurimis libris editis, aut prælectis, concionibusque publicis professum, aliosque præ se longè & egregiè contemnunt, vt fungos, fucos, truncos, vanos, & vacuos, diuersa opinione fascinatos, infatuatos, enthusiastas.

Itaque ab initio semper fuit, est, & erit diuersa fides in Ecclesia, & perpetua controuersia de Semine, Christo, vt verè positus sit in ruinam, & resurrectionem multorum in Israele, id est, Ecclesia, & in signum cui contradicatur. Primi Parentes non errant in fundamento, sed in eius indiuiduo & applicatione. Cain errat in fundamento, nullam habet fidem, sed falsam de seipso opinionem, quòd sit Semen illud: iuxta errorem Parentum, habetur pro orthodoxo & catholico, pro Pontifice, & Rege Ecclesiæ. Stante hac opinione Pax est in Ecclesia. Solus Habel obscurus & contemptus persistat in vero fundamento, veramque habet fidem, de vero Semine: sed hac propositione, primus publicam turbat Ecclesiæ pacem, habetur pro apostata, hæretico, & scismatico, quòd certis rationibus adductus dissentiat ab Ecclesia. Qui tunc fuerit status, & forma ecclesiæ, & apud quos fuerit, quisque facilè potest discernere. Eadem for-

ma fuit in posterum, & est hodiè, veræ Ecclesiæ. Iudæi Mahumesiſtæ, Paptiſtæ, Sophiſtæ, Pſeudochriſtiani diuerſam habent fidè de Chriſto, vtiq; ad ſe rapiunt titulum veræ & catholicæ Eccleſiæ. Orthodoxi autem ignobilioreſ, abiecti, & obſcuri, à ſuperioribus omnibus pro hæreticis habentur, ita vt Eccleſia ſemper fuit obſcuriſſima, nec facilè poſſit diſcerni, & agnoſci, ideoque exulare & latere pingitur Mulier illa in deſerto à Dracone profuga. Apoc. duodecimo. Sed de hiſ in ſequenti textu plura,

Haſtenus de Fide, ſequitur de Operibus, & vitæ generibus, Fidem conſtantibus.

Habel erat paſtor gregis, Cain autem erat agricola. Haſtenus deſcriptum eſt fundamentum fidei, & ſalutiſ, Articuluſ iuſtificationiſ; quòd credant in Semen mulieris, Saluatorem Mundi, eumque putent eſſe Cainum primogenitum. Sequuntur iam exercitia fidei, honeſta vitæ genera, fidem conſtantia, vtraque ex benedictione Dei, ad Dei cultum, vitæque uſum neceſſaria, inſuper typum, & officium Chriſti, opus noſtræ ſalutiſ referentia. Patre ita inſtituente, & ſinguliſ ſuaſ operas deſtinante, iuxta officium Patrifamiliàſ, &

familiæ. Primogenito, vt diuino homini, Caino, diuinas operas mandat, Agriculturam, opus, symbolum, & myſterium mortificationis, & viuificationis, mortis, & reſurrectionis, Deo ſoli propriũ, & Chriſto Saluatori, ad eius officium, omniaq; eius miracula congruum, cuius ſimilitudinem ſibi ipſi uſurpat & applicat. Ioan. 15. Niſi granũ frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, quòd ſi autem mortuum fuerit, pluriimum fructũ adfert. Item ego ſum Vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Item, ſimile eſt regnum cœlorum homini ſeminanti. Quæ omnia congruunt Deo Chriſto, & includunt opus, & articulum iuſtificationis, doctrinam Legis & Euangelij, Mortem & vitam, Gratiam & donum Dei, aquam & Spiritum, Mortificationem carnis, & viuificationem Spiritus.

Habelo autem mandat pecuariam, ad uſum Agni Paſchalis, quemadmodum oſtenderat ei Ihoua. Chriſtus in paradifo, ad perpetuam memoriam, & obſervationem iugis ſacrificij, qui ſuo tempore incarnatus, maſtaretur, cuius ſanguis funderetur, qui conſummato ſacrificio ſeſe offerret Deo Patri, pro expiatione peccatorum totius mundi. Qui Agnus occiſus & oblatus eſt typicè in Agnis paſchalibus ab origine mundi, uſque dum oblatus eſt, in proprio ſuo corpore, &

re, & porrò offertur vsq; ad finem Mundi hypotheticè in omnibus Martyribus,

Itaq; post ecclesiasticum, politicum, & œconomicum officium, Adq; à Deo ab origine mandatum, communicat & disperdit Pater filijs domestica officia, pecuariam, & agriculturam, prima præstantissima, honestissima, vtilissima, iucundissima, & maximè necessaria opificia, quibus alia omnia opificia inferuiunt, exercitia fidei, & charitatis, mutuò communicanda, & significatiua de Officio, & consummato beneficio Christi, nostræ salutis symbola & sacramenta, ab initio vsq; ad finem mundi, ad extremam illam Messem & Vindemiam, & Maturationem Apo. 14. exercenda, donec omnia Deo offerantur, ipseq; omnia ad se placita assumat, aut abominata repudiet. Cuius summi operis opifices, & executores, agricolæ & pecuarij, sunt mystæ, Sacerdotes & deprædicatores Dei.

Felices nimium bona, si sua norint agricolæ.

Adam utiq; manet summus Pontifex & Rex Ecclesiæ, donec ordinario successori deleet officium, ex diuina significatione, quemadmodum audiemus in Cain & Habelis sacrificijs. Quemadmodum postea in Lege fuit Pontifex. & Leuitæ, summi Sacerdotis administri.

Sed quod Mose pecuariam Habelis, agri

culturæ Caini præponat, non temerè, sed consultò factum est, propter excellentius, præstantius, & frugalius officium Christi, per hanc designatū. Agricultura enim toti rerū creatura conuenit de generatione & corruptione, de morte, & resurrectione vniuersali: ac significat doctrinam Legis & Euangelij, Gratia & doni Dei, cui agriculturæ subseruiunt omnes ministri Euangelij, at testante Paulo, cooperarij Christi, & agricolæ Dei sumus.

Mea est terra, vos coloni, seu agricolæ mei. Pecuaria autem de Agno paschali soli Christo conuenit Ioan. decimo. Ego sum Pastor ille bonus. Attamen mutuas operas tradunt agricultura & pecuaria, ideoque Dominus omnia sacrificia typica ex pecuaria agricultura conficimandat. Quando mactabatur Agnus comedebantur azymini, & manipulus primitiarū frugum offerebatur Domino in Paschate. Adeoq; Christus in pane & vino, suum Corpus & sanguinem, hoc est, seipsum iuxta Personam & officium suum, exhibet nobis percipiendum sacramentaliter. Hac itaq; falsa opinione, & errore de semine in Caino adolescit, pergit, & perstat tota eius temporis Ecclesia. Cain prædicatur, veneratur, adoratur, & colitur pro Heroe, hærede, Pontifice, Rege, & saluatore Ecclesiæ totiusq; mundi, pro
contri-

contritore Serpentis, ad totos plus minus triginta annos, iuxta ætatē Christi, errantq; omnes, non in fundamento, sed in eius applicatione: non in Verbo, sed in eius interpretatione. Quis ergo est, qui dicat Ecclesiam errare non posse, dum ab initio & semper errauit? Cain propter officium lautius, mollius, maioreq; cum indulgentia educatus, falsa opinione philautus, superbè insolens, & contemnit fratrem Habelem præ se, eiusq; nomine abutitur ad contumeliã, vocans Habelem, vanum, vacuum, vilem, inutilem, nulliusq; frugi hominem, vt plerumq; præstantioris conditionis homines, inferiores præ se contemnunt, probrosiq; scommatibus exercent, ac vocant fungos, fucos, asinos, &c.

Habel in sua abiectiōe patiens, sua forte contentus, patienter sustinet fratris importunitatem insolentias, & contumelias, commendat se, suaque negocia Domino, constanter credit, totamq; spem suæ salutis conijcit in Semen illud Mulieris, quòd collapsa repararet omnia, cuius Morte & sanguine tot⁹ mūdus recōciliaretur Deo, iuxta typū Agni paschalis cuius causa ipse agit opilionē, sed Cainū, illud semē nequaquã esse, multis probabilib. certisq; rationib. adduci, vt credat, non potest, ideoq; supplex Deū orat pro vero intellectu verbi Dei de

Semine vero. Itaq; ex perpetua oratione cōcipit Spiritum sanctum, verū verbi Dei interpretem, qui ipsi aperit intellectum, vt ipsam capitalem propositionem, & primam salutis promissionem, de Semine, exactius per singulas voces & circumstantias examinet, & explicet, videlicet, *Mulieris Semen conteret caput Serpentis, Serpens mordebit eius calcaneum, semen crit Vir, Ihoua, Deus & homo. Item Agnus immolandus in holocaustum, in fine dierum.*) Consensus est in Verbo, & fundamento dissensio & controuersia est in eius applicatione. Parentes, totaq; Ecclesia applicant Caino, sed hoc neutiquam est consentaneum. Quia Cain non est Semen mulieris tantū, sed etiā viri Adæ, quia Adam cognouit Heuam, quæ peperit Cainum. Non ergo ex viro, sed ex Deo concipiendum est illud Semen, ideoq; Deum, & Hominem, virum Ihouam fore. Ipsaque mater Heua iam peccato actuali contaminata, & virum cognoscens, peccatores pariens, eius seminis mater esse non potest, sed eiusmodi Mulierem esse oportere, qualis Heua fuit in Paradiso ante peccatum, coniungata viro, virū non cognoscens. Quæ, vt Heua ex verbo Diaboli per consensum concepit Auersionem, & Diabolū, ac peperit Peccatū & Mortem, Ita ipsa benedicta benedicti-

Semi-

Seminis Mater, ex verbo Dei, per fidem, conciperet Deū, & pareret iusticiam Dei, Christum, Deum, & Hominem, qui nos sua morte, & fuso sanguine redimeret ab omni peccato, & morte æterna, restitueret nos in Paradisum, vitam, & gloriam diuinam & æternam. Idq; in fine dierum, in nouissimis temporibus in sua ipsius persona, tandem in nobis, in tota omnium dierum reuolutione, & fine mundi, per ipsum Ihouā in primo Agno Paschali, in paradiso, in ipso promissionis actu, inactato, immolato, diuinoq; igni accenso & assumpto, ostensum. Ideoq; ipsum contritorem Serpentis, præstantiorem & potentiorem esse Serpente, excellentioremq; suo Patre peccatore Adā esse, qui hoc nequiuit. Sed præstantior Vir ex viro nasci non potest. Quod natum est ex carne, caro est. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Hominem ergo absq; peccato, qui peccatum expiaret & tolleret, Cain est, superbus, philautus, philonicus, vitiosus peccator, ex peccatore natus, morti subiectus, sua virtute non reuiuiscens, multò minus alios mortuos resuscitans? Deum ergo & Hominem esse, secundum Personam Deus, vt conteret Serpentem, Diabolum, aduersarium, spiritualem hostem Dei, & hominum, qui sustineret, vinceret, & placaret iram, & iudi-

cium Dei de peccato. Homo, quòd ipse Serpens morderet eius calcaneum, quòd pateretur, & moreretur, mortuus reuiuisceret, & nos simul viuificaret, & secum glorificaret. Secundum Officium autem Pontifex & Rex æternus, Sacerdos æternus æterni Sabbathi, qui doceat veram noticiam, sapientiam, iusticiam, & cultum Dei, in vera, æterna & absoluta obedientia, reuerentia, & conformitate Dei, iuxta voluntatem Dei. Pariter Sacerdos & sacrificium, Templum, Altare, & victima, quòd ipse omnium primũ sacrificauit, mactauit, & immolauit Agnũ paschalem in Paradiso, quo seipsum significauit ius sacrificio, æternæ obedientiæ, & reuerentiæ erga Deum: temporalis autẽ & relatiuę expiationis pro mundi peccato.

Rex autem, quòd ipse Deus æternus æterna mente cum Deo Patre & Spiritu. Mundum in idea habuit, meditatus est, cunctaque prædestinauit, & disposuit, postea creauit, ordinauit, certisq; vicibus seruat & gubernat omnia, nunc & in æternum.

Hæc Habelis de sacro Semine noticia, fides, sententia, & confessio, quia vera, integra, orthodoxa, catholica & iustificans est, iuxta sensum Dei, quã sapius in sabbathis corã Ecclesia confessus est, attamen quia ab Ecclesiæ sensu diuersa est, ideo vana, imaginaria, erratica, & hæretica iudicata & dam-

nata

Officium.

nata est. Et quâuis optima intentione à parentibus nominatus est Habel, id est, vanus vilis, nulliusq; frugi ad parandam salutē, typum gerens totius humani generis, collatione benedicti Seminis, quòd improprie putabatur Cain. Nūc tamen post diuersam eius ab Ecclesia sententiã, & postquam hætenus ab omnibus tributum, iam ipse solus ipsi derogat, & denegat honorem, nec vult fratrem Cain salutare, & venerari Pontificem, & Regem, Heroem, Hæredem & caput Ecclesiæ, Saluatorem mundi, ideoq; inuidiose, contumeliose, & probrose eius abutitur nomine, probra, conuitia, & conficta crimina cumulat, & aggrauat: vocat, proclamat, infamat, traducit, suggillat apud omnes perniciosè & verè, re & nomine Habellem, id est, vanū, vacuum, vilem, futilē, opinarium, imaginarium, melancolicū, enthusiastã, svermerū, contra, supra, extra Ecclesiã sibi soli alta sapientē, extrauagantē, imò stultū, dementatum, infatuatū, insanum & perniciosum hæreticū, superbè se super alios efferentē, receptæ, approbatæ, & vsitatę sententię & doctrinæ catholicę Ecclesię non acquiescentē: sed suis diuersis fictitijs, imaginarijs, & fantasticis speculationib⁹, opinionibus, & errorib⁹ p̄gnantē, scismata, disputationes, dissensiones, apostasias, cōtrouersias, tumult⁹, & seditiones in Ecclesia suscitã

tem, atq; in his superbè, & obstinatè aduersus omnes sanas parentum, totiusq; Ecclesiæ admonitiones sine omni spe emendationis perdurantem. Dignus, & sua culpa reus, qui post tam sanam, familiarem, & salutarem admonitionem inflexibilis, proteruus, obstinatus, abijciatur, & excommunicetur: imò ne alios synceros secū in reprobum sensum, errores, & perniciem trahat, penitus è medio tollatur, atque ita maneat in Ecclesia consensus, tranquillitas, mutua beneuolentia, ædificatio, alma, vniuersalis & perpetua pax, vtq; hoc exemplo caueatur in posterum dissipatio, disturbatio, & distractio Ecclesiæ, (probabilis certè apud omnes ratio.) Atq; hoc ex officio interest, Parentes & Se, vt primogenitum, ordinatum, constitutum, declaratum, & ab omnibus salutatum, habitum, & veneratum Heroem, Hæredem & Caput Ecclesiæ, præcauere. Hæc fuerunt de misero Habelè impia & perniciosa consilia, & decreta Ecclesiæ, prægrauata & egregiè oppalliatâ prætenu officij, & zeli Dei. Ita conclusum est, de hoc luctuoso, & calamitoso opilione, insimulato, & malè traducto hæretico. Caini sententia, propter officium, ætatem, & authoritatem apud omnes præualet, & degrauiat, parentes approbant, conclamat tota Ecclesia, neq; quisquã audit dissentire, aut pro conciliatione

ciliatione mutire, de Habelis pietate, & rebus bene gestis, ne videatur esse partialis, fiatq; suspectus, ac in idem coincidat infamix, vitæq; discrimen. Nihil iuuat, nihil flectit furorem, crudelitatem, immanitatem, & inclementiam, quòd sit Frater, vterinus, natus proximus, vtile membrum Ecclesiæ, de omnibus bene meritus: quòd fideliter paut oues, ad sacrificia promptus, quibus toti inseruiuit Ecclesiæ. Publicus consensus, & concordia doctrinæ in Ecclesia præponi debet omnibus alijs priuatis affectibus, & sympathiæ.

Tanto cum periculo corporis coniunctum est, receptam, approbatam, & vsitam sententiam, & interpretationem Scripturæ refellere, ab Ecclesia dissentire, aut suâ sententiam pro illustratione proponere, quantumuis certas habeas rationes, & luculentas demonstrationes: à tota Ecclesia hæreseos probra sustinere, abijci & damnari. Sed maiorem cum salutis & animæ periculo coniunctum est, spiritum extinguere, meliorem interpretationem verbi, quamuis ab obscuro Habeli propositam non admittere, sed furenter hæreseos damnare. Eadem forma & fortuna Orthodoxorum Habelorum inter suos falsos fratres Cainos, semper fuit in Ecclesia, ab exordio vsq; ad finem mundi, vt ex priuatis odijs, in simula-

tione, & calumnijs infiniti nascantur heretici. Sed iã quid faciat damnatus hæreticus Habel, viribus, & numero ad resistendũ & defendendum impar, etiamsi prouocet ad Ecclesiæ iudiciũ, pro suę causæ cognitione & huius controuersię diiudicatione: etiam si proponat, suas probabiles rationes, nihil facit, frustra laborat: nã ibi iam de ipso conclusum est, de eius capite & corio actũ est: trasijt actio in rem iudicatam, nulla regerit conuitia, filet & vindictã committit Deo. Vnum saltem reliquũ est, quod pars aduersa penitus detrectare non potest, prouocat ad cognitionem, interpretationem, iudiciũ & decisionem Dei, in hac controuersia, de diuino semine, sit ne Cain nec ne, vt se Deo declaret, per publicum sacrificium, cœlitus incendendum: vtrius incenderetur diuino igne, eius vera, & Deo probata esset sententia. Quam rationem, & extremum defugiũ in simili casu postea imitatus est Elias: & David aduersus Saul ad idem prouocat, quãuis Saul sibi malè conscius, & malè confidens, non suscipit. Hic autẽ recipitur, postquam Parentes ita docuerunt, & Deus per totos triginta, pluresue annos, non aliã fecit declarationem de Semine, parentumq; vetustam opinionem non improbauit, aut per reuelationem correxit. Quòd autem soli Habeli, eiusq; imaginationibus credant, & mutationẽ in publica doctrina, hætenus

in Sabbathis, & maximè in paschate quando offerebatur Agnus typicus vsitata, faciunt, præter clara diuina testimonia, non esse consentaneum, neq; sine periculo fiet, vt in posterum pro cuiuslibet imaginaria opinione mutanda esset doctrina in Ecclesia, quâuis ne hoc quoq; postulauit Habel, nec quenquâ coegit ad suę sententię assensum, aut publicam doctrinę mutationem. Ideo iuxta hoc exemplū, nō otiosè Iudæi à Christo toties postulant signum de cœlo, id est, diuinum testimoniū, quo certificati, ipsum pro doctore, & religionis reformatore reciperent. Christus autem cordium cognitor sciens ipsorū obstinationem, recusat obsequium, dū omnia eius miracula pro Magia habent, calumniantur & blasphemant, ac solum promittit signum Ionę prophetę, suę mortis & resurrectionis suę Personę, & officij significatiuū, cui si credant, saluentur, aut increduli damnentur.

Et factum est à fine dierum) Finis dierum varius est, alius est Hebdomadę seu Sabbathi, Alius finis dierum Mensis. Alius finis dierum anni magni Iubilæi. Hic autē finis dierum, prima, & antiquissima phrasis Ebręa est, pro reuolutione anni, A fine dierum, id est, post reuolutum annum, periphrasis noui anni est, quando Ebręis ab origine nouo incipiebat annus, postea dictus Pascha, vel vel Pesah, à transitu Dei per Ægyptum,

maclando primogenita, & à transitu Israël ex Ægypto per mare rubrum. Exod. 12: Quando pro ratione eius climatis incipiebat Mesis. & offerebatur Domino manipulus nouarum frugum, 14. die, post æquinocetum, & nouilunium Vernale, quando immolabatur Agnus paschalis, quando alioqui ex originali, & diuina institutione solebant sacrificare. Qui ritus, & typus Christum significabat, eodem tempore anni immolandum, quemadmodum veritas comprobauit; postea Christo resuscitato dictus, Dies Dominica. Apo. 1. Ita vt finis dierum, Pascha, & dies Dominica, idem tempus significant. Vnde rationari potest initium, & finis Mundi, & tempus mansionis Adæ in paradiso. Postquam Agnus erat anniculus, oblatus, in fine dierum, id est, reuoluto anno. Quando quoq; in extremo fine omnium dierum, in fine mundi, tempore Paschatis, tota erit Natura, totusq; Mundus, cœlesti igne incensus, futurus est Deo consummatum, & acceptum sacrificium, ceteris reprobis in æterno igne iræ Dei exurendis, spinis illis, & tribulis, & palea exurendis igni inextinguibili in Sabbatho, hoc est, quamdiu beati agunt Sabbathum ex Sabbatho æternum Iess. 66. vt Dauid inquit in verbis suis nouissimis, id est, testamento. 2. Reg. 23 Mar. primo.

Diuerſi alioqui apud alias Gentes, ratio-
ne diuerſorum climatum aut aliarum cau-
ſarum, ſunt fines dierum, ſeu annorum ini-
tia, quando labor anni redit actus in or-
bem. Ægyptis in fine Auguſti, Nōbis poſt
ſolſtitium hyemale, Atticis poſt ſolſtitium
æſtiuale, Aſianis poſt æquinoctium autum-
nale.

Angelica phraſi, tota reuolutio anni, eſt
dies vnus, inde 1260. dies Beſtiæ: Calcæ
ſanctæ vrbis Ieruſalem à Gentibus: Duorū
Teſtium Chriſti, Mulieris in deſerto exu-
lantis, à Dracone profuga. In Apoc. 10. 11. 12.
13. Aliàs Tempus, מָדַי à feſto paſchali. Da-
nic. 12. Tempus, tempora, & dimidium. Di-
uina phraſi, mille anni ſunt Dies vnus. Pſal.
90. 2. Pet. 3. inde prima mundi hebdomadā,
eſt typica totius temporis mundi. Sex dies,
ſex millia mundus. Poſtea Sabbathum eter-
num, quod ſextum millenarium anticipa-
bit. Item tempus totius huius Carnalis, &
creati Mundi Deo eſt Dies vnus, eius Ma-
ne eſt initium, veſpera eſt finis Matt. 20.

Certa ergo & indubitata ſententia eſt,
hanc oblationem factam eſſe tempore pa-
ſchatis, poſt aliquot Caini & Habelis nata-
les annos, circiter triginta, iuxta ætatem
Chriſti, cuius typum ſuſtinet Habel, ſecun-
dum quam ætatem quoq; erat Iſaac, cum à
patre erat immolandus, vt ita de tempore,

& ætate Christi, immolandi certificatione haberet pia verustas.

Attulit Cain de fructu agri, oblationem Ihouæ. Habel attulit quoq; de primigenis, ouium suarum, & de pinguioribus earum) Offerendi & sacrificandi ritus ab initio fuit à Ihoua, Christo, monstratus, & institutus in paradiso, in primo sacrificio, post primam promissionem, vt quisq; de suis facultatibus pro cultu, agnitione, & gratiarum actione beneficiorum Dei, & suæ fidei confessione, offerret Domino munus, seu oblationem. Ideoq; Dominus lege statuit, ne quis vacuus veniret, sed pro sua facultate, pro vt sua inueniret manus, de sua cultura, & opificio, offerret. Idē decet nos moraliter imitari, vt aliquid conferamus ad sacra ministeria conseruanda, & pro alendis pauperibus, quemadmodum obseruatum est in prima Christiana Ecclesia, post abrogata sacrificia typica, vbi quisq; de suis facultatibus, & opificijs pro sua libertate & liberalitate singulis sabbathis contulit. Quæ ita congesta dicebantur Collecta, gratijsq; actis, & præcatione sanctificatis, distribuebantur per Diaconos. Primum Ministro verbi, aut qui laborabat in verbo, dabatur dupla portio, quod Paulus appellat duplicem honorem, propter eius hospitalitatem, & alendam familiam, quoniam non poterat alijs laboribus

pro

pro quærendo victu vacare.

Ita Cain agricola adfert manipulos nouarum frugum, quemadmodum postea perpetuò in Paschale offerebatur manipulus nouarum frugum, pro gratiarum actione de benedictione Dei, ex agricultura percepta, ex qua administrat panem ad annum victum. Ideoq; Christus porrectis quinque panibus, sublatis in cælum oculis, gratias egit Patri pro sua benedictione. Et pro agnitione Mysterij totius agriculturæ, quòd post absolutam Carnis mortificationem, & Spiritus viuificationem, in futura resurrectione, in fine dierum, totiusq; Mundi consumptione, tota rerum creatura offeretur Deo, ipseque suscipiet eam gratum sacrificium, & holocaustum.

Similiter & Habel pastor de Grege suo adducit Agnum anniculum, primigenum, & pinguisimum, pro memoria, agnitione, & significatione summi æterni, & consummati sacrificij Christi, iuxta primam institutionem Ihouæ in paradiso, ad significationem immolandi, & sacrificandi Christi, Deo patri consummatum sacrificium, in absoluta sua obedientia erga Patrè, & pro expiatione peccatorum totius Mundi, ab initio, vsque ad finem dierum, typicè in omnibus Agnis paschalibus, archetypicè in Christo ipso, & hypotheticè in omnibus Martyribus, in totius

fit Agnum, aut Hædum. Exod. 12. Ideoq; v. traq; relatiua ponit textus Ebræus, singulare, & plurale. Itē מִנְחָה Minha est oblatio, aut sacrificium, plerumq; vespertinum. Et quia Agnus Paschalis iubente Domino ma- ctabatur inter vtrasq; vespervas, id est, inter tertiam & quintam nobis, quemadmodum archetypicus Agnus Christus in cruce ma- ctatus, nona, nobis tertia, expirauit. Inde certum est hanc oblationem factam esse ve- sper, vt quoq; posteritati constaret, quo tē- pore mūdi, & diei, Christus esset offerend⁹.

Hic fit totius Ecclesiæ Synodus, seu con- gregatio in solemni festo Paschatis, seu no- ui anni, eaq; diuiditur in duas Partes. Adá, & Heua, totaq; Ecclesia, stant à parte Cai- ni, vt qui Cainum sic docuerunt, quod ipse esset Semen illud sanctum & promissum: fundamentum est ex promissione Dei, sed improprie applicata. Habel stat solus, vt E- lias, vt Mose & Aharon. Adam & Heua cre- dunt Cainum esse Semen illud Mulieris, Saluatorem Mundi. Habel credit ex cælo Deum incarnandum esse Saluatorem. Adá publicam habet concionem ad Ecclesiam, de Semine sancto, & quibus rationibus cre- dant hoc Cainum esse. Vtrobq; oratur ex fide Promissionis, vt Deus benignè, & con- spicue se de hac cōtrouersia declaret. Cain nè sit benedictum illud Semen, an aliud ex

394 DE VERA VETERI
pectandum sit, quemadmodum Iohannes
Baptista, misis discipulis ad Christū, prop-
ter discipulos quærit de indiuiduo, & certa
Persona Messia. Quemadmodum Elias o-
rat, vt se inter verum Deum, & Baal decla-
ret. Ita Christus extremo iudicio conspiciē
deklarabit inter falsos & veros prophetas.
Mat. 7. Multi dicent mihi in die illo, Domi-
ne Domine, nonne tuo nomine propheta-
uimus, & miracula fecimus? Tunc confite-
bor illis, Non noui vos: discedite à me vos
maledicti, nam hoc prætextu, tanto peius
egistis, veros meos prophetas occidistis.

Sed priusquam ad hanc prouocationem,
decisionemq; venerit, cogita quæso, quæ
forma Ecclesiæ; quæ dissensio, quæ disputa-
tio, & controuersia, & factiones apud om-
nes fuerint, quas molestias Cain Habelo fe-
cerit, quæ publica, & priuata conuitia in ip-
sum coniecero, quàm acriter flagellauerit,
quàm acutè pupugerit, quamque apud om-
nes vt phantastam, swermerum, enthusiastā
& hæreticū deformauerit, vt facile omnes
ipsum, vt præsentissimum venenum, & pe-
stem deuitauerint, & abhorruerint, cauē-
tes, ne & ipsi ab eo inficiantur, neue apud
Ecclesiam in suspicionem veniant. Idq; præ-
textu officij, verbi, & zeli Dei, quemadmo-
dum hypocritæ isti possunt se honesta spe-
cie ornare. Ita vt maximè necessariū fuerit
tandem in hac causa decidere, litemq; diri-

mere. Eadem forma semper fuit, est, & erit Ecclesia. hypocritæ præcellunt. Maior pars vincit meliorem. Cainici sunt orthodoxi, iuxta sententiam Ecclesiæ. Habelici sunt Hæretici, vt tandem Christus necessitate adigatur suo extremo iudicio decisionem facere. Sed vt Christus in hoc primo, ita quoq; in extremo iudicio, Ecclesiæ iudiciū confundit, multosq; quos Ecclesia hæreticos damnauit, ipse iustos declarabit, quem admodum sequitur in textu.

Respexit autem Ihoua ad Habelem, oblationemque eius. Ad Cainum uerò, oblationemq; eius, non respexit) *נשׂו* respexit, adhibuit se, benignè aduertit, placidè assumpsit vt Mater filiorū. Quomodo autem respexerit, non additur expresse, consensus interpretum est, & alia exempladocent, respexisse per incensum sacrificium, vt Mose, Salomonis, & Eliæ tempore, quando de cælo demisso igne incendit sacrificium, quem ignem sacrū appellabant, & Almæ vestales fouebant ad sabathica sacrificia, (non enim licebat prophano igne sacrificare,) ita appellate quasi igni foue, inter quas aliquot erāt Sibyllæ, id est, prophetissæ. Ad Almas, id est, claustrales virgines destinabantur primogenitæ, aut sua sponte aliæ virgines, & viduæ, vt in Maria sorore Aharonis & Mose: itē in Maria Dei genitrice & Hanna prophetissa, ac cæteris patent exempla.

Difertè scribit, Deum primùm respexif-
 se Personam, deinde opus. Personam respi-
 cit propter Fidem. Sine fide impessibile est
 placere Deo Ebr. ii. placente Persona, pla-
 cet opus, displicente persona, displicet o-
 pus. Ideo subiungit, Ad Cain, oblationeq;
 eius non respexit. Fides Habelis, vera, Cai-
 ni falsa fuit. Vera, quòd Habel credit Se-
 men benedictum ex Deo de cœlo incar-
 nandum esse, & nascendum ex Muliere vir-
 gine. Falsa, quòd Cain putat se esse Semen
 illud iam incarnatum, iuxta Parentum, seu
 Ecclesiæ interpretationem. Fides Habelis
 totum complectitur Christum, secundum
 Personam & Officium, Deum & Hominè,
 Salvatorem Mundi, æternum Sacerdotem
 & Regem: ea est orthodoxa & catholica, i-
 deoq; magno cum præconio scriptura Fi-
 dem, Habelis prædicat Ebre. ii. Fide melio-
 rem hostiam Habel, quàm Cain obtulit
 Deo, per quam testatum est se esse iustum,
 eius muneribus testante Deo, per quã mor-
 tuus adhuc loquitur. Cain, cum omnibus
 hypocritis, putat se placere Deo propter
 primogenituræ prærogatiuam, officij præ-
 stantiam, ordinariam authoritatem, prop-
 ter iudicium Ecclesiæ, & opus operatum.
 Sed etiamsi Cain veram, eandemq; cum Ha-
 bele habuisset fidem, ingrata tamen fuisset
 Persona, eiusq; Oblatio, dum nullam habet
 charita-

charitatem, dum odit fratrem, etiamsi sub pio zeli Dei prætextu, dum non reconciliatur ei, iuxta mandatum Christi, Matt. 5. Cū offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum, ante altare, & vade prius, vt reconcilieris fratri tuo: tunc redi, vt offeras munus tuum. Sed Cain posset obijcere, suum odium non esse priuatum, sed publicum, & ex officio, quòd Habel se opponat iudicio Ecclesiæ, manet obduratus, nullam agit pœnitentiã, atque ita faciat controuersias in Ecclesia. Vero ergo iudicio Dei damnatur hæreticus, iuxta sententiã Christi, si non audierit Ecclesiam, sit tibi quasi publicanus. Quæcunq; ligaueritis super terrã, ligata sunt in cœlis. Respondetur, Dum iudicium Ecclesiæ tantum est ex opinione, & ex priuata interpretatione verbi Dei, non ex Spiritu, nõ potest dissentientes pro hæreticis damnare, sed iudiciũ suspendere, donec Deus det melius iudiciũ, iuxta analogiam fidei. Ideo inquit Paulus, Spiritum nolite extinguere. Si reuelatum fuerit sedenti, taceat prior: cuiusq; interpretatio audienda est, quæ ad analogiam fidei propius accesserit, sine inuidia retinenda est. Omnia probate, melius tenete. Spiritus prophetarum subiectus sit prophetis.

Sed inquit Cain, Non potest melior intellectus verbi esse in Habel, quàm in Parentibus: nam & ipsi Spiritum Dei habent. Respondetur, Habent quidem, sed Dominus non dat Spiritum suum ad æquam mensuram, alijs plus, alijs minus. Dominus solet sua dona compensare, quod huic in hoc negat, in altero compensat. Caino dedit primogenituram. Habelo meliorem interpretationem. Id ideo dispensat Dominus, ne superiores præ se contemnât inferiores primi in vinea Domini laborantes, non inuideât postremis equam mercedem, alioqui murmurantes aduersus patrè familiam fiunt vltimi.

Sed quàm fuisset melius, magisq; proficisset ad maiorem Ecclesiæ ædificationem, si consensus inter Fratres intercessisset. Si Cain Habelis meliorem interpretationem admisisset, certè maiore cognitionis lumine de Christo, & iustificatione, diminutum eius estimationis honorem Dominus compensasset, totamq; in posterum Ecclesiam illustrasset: vt Spiritus sanctus exclamando prædicet Ecclesiæ concordiam, cum inquit Psal. Ecce quàm bonum & quàm iucundum est, fratres esse vnanimes. Sed ea est perpetua miseria Ecclesiæ, quòd Cain non vult in suo Habel Dei dona agnoscere, & admittere, sed ea iuxta personam extenuat, & contemnit: ita vt nõ tantum Habel, sed & Spiritus sanctus

sanctus in ipso pro phanatico, erroneo, & swermero habeatur: & quę Dei sunt, Diabolo ascribantur, vt Pharisæi omnia dicta & facta Christi, tanquã Magica, & diabolica calumniabantur. Sed quid quæso lucri tandẽ huiusmodi Caini de sua obstinatione, & cõuitijs in suos Habeles coniectis, reportant? quã quod eadem in seipsos diuino & iusto iudicio retorqueantur, & quo iudicio iudicarunt alios, iudicentur? Nam per hoc sacrificij incendium, Habel Pontifex & Rex Ecclesię typicus constituitur, & à Deo declaratur: Cain destituitur, & ab officio abijcitur. Habel ex posterogenito fit primogenitus Ecclesię: Cain ex primogenito Ecclesię, fit primogenitus Sathanæ, & Antichristus: ex semine Mulieris, fit semen Serpētis.

Cain cum Parentibus expectat etiam suũ sacrificij incendium, sed frustra: quia eorũ sententia, & interpretatio de Semine erat falsa, & erratica. Ibi Cain toruo, demissoq; vultu Parentes aspicit, quasi deceptores, & suos seductores, omnem huius erroris causam, & culpam in ipsos transferens, adeoq; aduersus Deum, vt iniquum iudicem murmurans, & fremens: vt qui posterogenitum, primogenito anteponat, ius subuertat omniaq; turbet. Parentes se mutuò aspiciunt, quasi sua opinione confusi, optima spe de Semine Salvatore in Caino frustrati,

metuentes ne penitus de tota Salute exciderint. Maxime Adam Heuam aspicit, quæ ex intempestiua sui gaudij præcipitantia hunc errorem induxit, nescij, in quem hoc maximū malum transferunt. Primum peccatum in paradiso commissum, extrema inquisitione transferebatur in Serpentē Diabolum: hoc autem in neminem, quam in se ipsos possunt reijcere. In quanto angore, & consternatione fuerint, quisq; facile poterit expendere. Sed quid ad extremum faciant? Diuino iudicio conuicti, cedunt, & tribuunt ei suum honorem, & reuerentiā: agnoscunt suum errorem, mutant sententiam falsam: spem de Caino conceptam abijciunt, ad Habelis partes accedunt, eius interpretationem de semine recipiunt: ipsum pro typico Dei Sacerdote ad futurum Salvatorem agnoscunt, suumq; depræcantur errorem, & culpam. Ecce quā subita hinc fiat commutatio. Habel hætenus à tota Ecclesia damnatus hæreticus, iam declaratur à Christo orthodoxus. Econtra, Cain, & tota Ecclesia hætenus æstimata orthodoxa, iam taxatur erroris.

Hoc summum sanctorum Martyrum est solatium, ideoq; Christus eos prædicat beatos, & iubet solide gaudere & exultare probris adfectos, quod conformentur Prophetis, Christo, Apostolis, & Martyribus: qui
eadem

eadem probra sustinuerunt. Si conformes in causa & cruce, certè etiam in gloria. Atq; hoc primum Christi iudicium, est extremi sui iudicij specimen & argumentum. Iudicati & damnati vt hæretici, à Christo absoluentur, & iustificabuntur, vt Habel, Stephanus, &c. Errantes, & sua falsa opinione decepti, per ignorantiam, & falsum zelù Dei iustos persequentes, veritate conuicti, & pœnitentes, gratiam, & Remissionem apud iustum iudicem Christum impetrabunt, vt Adam & Heua, totaq; reliqua Ecclesia, vt Paulus, &c. Obstinati autè ruent in deterius, ac tandem in æternam damnationem, vt Cain. Atq; hoc illud est, quod inquit Ioan. Apoc. 16. & Zacha. 15. Ciuitas illa Magna diuisa est in tres partes: in iustos, errantes, & obstinatos.

Hoc enim ex æterno, & profundissimo suo consilio semper facit Dominus, vt clarissimam lucem, tenebris inuoluat: vt generosissimus Dei Filius, deformissimi serui forma vestiatur: vt summa Sapientia & veritas Dei pro extrema stulticia, mendacio, & hæresi iudicetur, damnetur, & affligatur hîc in Ecclesia. Post Resurrectionem, & Veritatis illustrationem autem, videbunt in quem transfixerunt: percutientes pectora, absoluentur: Perdurantes manebunt in morte. Atq; hoc ideo facit Dominus, vt ip-

se de sua profundissima extenuatione, & sapientia apud omnes glorificetur : vt omnem humanam Sapientiam sua sapientia superet, & confundat : vt omnium peccantium misereatur, & sic apud omnes in æternum glorificetur, & adoretur. Quisq; ergo timeat Deum, & roget pro Veritatis cognitione, patienter perferat eius fortunam, atque expectet eius reuelationem, & gloriã: imò glorificet Deum in corde suo, ac solidè apud seipsum ex animo gaudeat, quòd conformis sit vnigenito filio Dei. Omnium enim rerum vicissitudo est. Hæretici olim ab Ecclesia damnati, à Christo declarabuntur Orthodoxi, vt Habel, Christus, Prophetæ, Apostoli, Martyres. Econtrà, Catholici, & orthodoxi ab Ecclesia canonizati, promoti, & beatificati, tandem à Christo extremo iudice damnabuntur, vt Cain, & Antichristus. Ideoq; in æternum aduersus Christum iudicem, frement, eumq; iniquitatis incusabunt, quemadmodum hic typum videmus in Caino.

Ideoq; excandauit Cain uehementer, conciditq; uultus eius)

Cain hætenus gloriosus Heros, & Hæres Ecclesiæ, primogenitus, inclytus, & illustris, ab omnibus veneratus Pontiphilo-

fex, & Saluator Mundi, ideoq; philautus, philonicus, importunus, fastuosus, fratris contemptor, & eius vanitatis exprobrator, nunc palàm à Deo coram tota Ecclesia confusus, publico probro perfusus, officio, honore, dignitate, & autoritate exutus, fratri postpositus, & degradatus, ardentissima apud se ira flagrat, feruet, furit, & fremit aduersus Deum, Parentes, & Fratrem: Toto vultu suam indignitatem prodit, præ nimia amarulentia extabescit, totamq; Ecclesiam turbat, tumultuatur, & malè minatur fratri excidium, propter publicum illatum probum: totam denique culpam in fratrem reijcit, qui primus hanc controuersiam mouit, sua ab Ecclesia dissensione, qui si acquieuisset parentum sententiæ, & doctrinæ, nihil penitus fuisset turbæ.

Ipse solus, & primus hoc mouit incendium, toto Diluuiò aquæ tandem vix restinguendum: cuius scintillas postea sceleratus Cham resuscitauit, totius denique Mundi conflagratione, & in æterno sulphureo stagno submergendum.

Tantus est Impiorum aduersus Deum, & pios omnes furor, amarulentia, fremitus, & maledicentia, tantum abest, vt

cedant Deo, eius Verbo, eiusq; iudicium re-
 uereantur, & petant gratiam, remissionem,
 & misericordiam Dei, fratres suscipiant, a-
 ment, & agnoscant in eis dona Dei, ipsorū
 interpretatiōnes, intellectum scripturæ, &
 sapientiam admittant, audiant, expendant,
 & magnifaciant, quin omnibus sannis irri-
 deant, naso suspendant adunco, exhibilent,
 explodant, vt fanaticum, fantasticum, hære-
 ticum, & diabolicum: donec vice versa diui-
 no iudicio couincantur, eodemque iudi-
 cio & probro, quo alios affecerunt, affician-
 tur. Et quamuis probabiles habeat suæ opi-
 nionis rationes, adminicula excusationes,
 & culpæ translationes in Parentes, Patres,
 & Ecclesiam, quæ ita docuit, nihil tamen e-
 uincit in iudicio Dei: nam & ipsa potest er-
 rere, falli & fallere. Non ergo semper & so-
 lidè nitendum est iudicio, & sententiæ Pa-
 trum & Ecclesiæ, siquidem ab initio erra-
 uit, & in errorem duxit, suoq; falso iudicio
 alios erroris, & hæreseos damnauit. Ideo in-
 quit Paulus: Spiritum nolite extinguere. Si
 reuelatum fuerit sedenti, taceat prior. Om-
 nia admittite, & probate, melius retinete.

Prohibet ergo Dominus hoc suo iudi-
 cio, feruida, & nimium festinata iudicia Ec-
 clesiæ, Synodorum, & Conciliorum, dira-
 que ipsorum anathemata, quæ plerumq; re-
 perta sunt falsa, multosque ab ipsis iudica-
 tos,

tos, & damnatos hæreticos absoluit, & beatificat. Non fuit ea primæ & veræ Ecclesiæ Christi, in Spiritu sancto congregatæ, conciliorum & synodorum ratio, quæ postea fuit, & est, falsæ Ecclesiæ, in quibus iam confinguntur falsa crimina, & super his cuduntur falsa anathemata, quæ Dominus tandem suo iudicio facit irrita: vt hoc primum concilium Ecclesiæ, in quo, Cain declarabatur orthodoxus, & Habel hæreticus. Dominus contrà, declarat Habel em orthodoxum, & Cainum hæreticum. Ibi tota Ecclesia confunditur. Non ergo mirum, si in posterum falsa iudicia Ecclesiarum confundatur. Prima Ecclesia suum errorem correxit, & recantauit, suumq; Cainum admonuit, vt idem faceret, sed ipse obstinatus parentes suis ipsorum verbis redarguit, ac potius voluit, vt nunquã ita ipsum deprædicassent, & gloriosum fecissent, quàm nũc faciant ignominiosum, & apud omnes despectum. Quàm potius vellet Vitam morte, quàm Gloriam probro commutare, quàm potius vult ferro & sanguine vindicare, quàm deponere. Eadem est obstinatorum indoles ab initio vsq; ad finem mundi. Sed postquam Parentes non sufficiunt ad compacandum Cainum, Dominus Ihoua ipse accedit sua autoritate, & grauitate ipsum de sua impietate castigans, quoniam non

316 DE VERA VETERI
vult mortem peccatoris, sed potius, vt con-
uertatur, & viuat.

*Inquit, Ihoua ad Cainum. Quare excandescis te-
cum, & quare collapsus est uultus tuus? Nonne, si
bonus fueris, esset leuatum? Sed quia bonus non es,
ad patefactionem peccatum cubat: sed ad te sit con-
uersio eius, tuq; domineris in illud.*

Hæc certè sunt ponderosa verba, & cum
magna grauitate coniuncta. quibus Ihoua
Cainum in conscientia conuincit, & admo-
net pœnitentiæ, ac reddit rationem iusti
sui iudicij in hac causa & controuersia, ipso
met Caino comprobante. Sunt qui volunt
Ihouam hæc loquutum esse per Adamum,
ratione ministerij. Sed probabilius est, Do-
minũ ipsum esse loquutum, typico suo cor-
pore apparentem. Alloquij occasionem ac-
cipit ab ipso habitu animi, cuius apparet ex-
terna significatio in vultu. Collapsus vul-
tus, corrugata facies, phrasis, & habitus est
irati, aut dolentis. Contrà erecta, leuata, &
experrecta facies, est habitus exhilarati: ac
si diceret, Ex vultu tuo apparet, te meum
improbare iudicium, te non tantum in Fra-
trem, & parentes, sed etiam in me Deum
ipsum stomachari, postquam Parentum
non acquiescis compacationi. Nonne hæc
vestra ab vtraque parte fuit ad iudicium
Dei concors prouocatio, vt Deus ipse in
hac

hac controuersia decideret per sacrificium, vtrius incenderetur cœlitus, eius vera, iusta, & bona esset causa? Nunc ergo, nonne, si bonus fueris, si bonam, iustam, & veram causam habueris, tuum sacrificium fuisset incensum, i leuatum, gratum, assumptum, & acceptum? Quod quia non est factum, sequitur te non esse bonum, tuam personam & causam non placere Deo, ideoq; nec sacrificium, totumq; opus tuum non acceptari à Deo. Desine ergo à tua, tuorum que Parentum, ac totius Ecclesiæ falsa opinione & errore, quantumuis prolixo, recepto & vsitato. Atq; accede ad sententiam & interpretationem tui fratris Habelis, in articulo iustificationis de semine Mulieris, Saluatore, & Serpentis contritore: eius vera, orthodoxa, & catholica est sententia, quantumuis à vobis hactenus improbata, & hæreseos damnata est. Non erratis in fundamento, nec in ipso verbo, sed in eius interpretatione, applicatione, & indiuiduo. Quod peccatum quia est bonę intentionis, humanæ imbecillitatis, pię opinionis, & negligentię, facile vobis condonabitur pœnitentibus. *Quòd si autem bonus non fueris*) Si post hanc diuinã admonitionem, & correctionem maliciosè in tua sententia obstinatè perduraueris, tuumq; Fratrem odire & persequi perrexeris, malumque factum in

animo conceptum alueris ad oportunitatem, illud quidem per se apud Deum peccatum est, Deo auersum, aduersum & odiosum, attamen cubat quiescit, tectum, tacitumq; est: apud homines nō reputatur peccatum, donec prorumpat in opus ad patefactionem, tunc etiam homines palam clamant esse indignè factum. Item, quod si etiā ipsum factum ita homines omnes per totum vsq; mundum celaueris, utiq; tamen in iudicio extremo patefiet omnibus: interim in tua conscientia cubat & quiescit, vt rabidus canis, qui cum euigilauerit perniciose te mordebit. Aut ipsum peccatum, & mala mens stimulat, & impellit ad opus, vt canis qui cubat ad fores dum aperiantur, vt prorumpat, & mordeat. Ita mala mens, malus animus expectat oportunitatem.

Sed ad te sit conuersio eius) tu eius appetitum restringe, vt catenatum canem. Ira furor breuis est, qui nisi paret, imperat. Hūc tu frenis, hunc tu compescecatenis.

Tuq; dominaris in illud) ne patiaris peccatū in mente tua regnare, principatum obtinere, & te ad facinus malum impellere, quia habes rectæ rationis libertatem, quæ habet restringendi peccati potestatem. Inde est quod Dominus in Decalogo prohibet peccata, & punit nostram indulgentiam.

Eadem Deus loquitur semper in conscientijs

entijs impiorum, aduersus pios, mala, inortemque meditantium. Varia semper vobis est controuersia, non tam de verbo Dei, quam de eius interpretatione, dissentientes se mutuò insimulant hæreseos, vt in prima Ecclesia de verbo, Semen Mulieris conteret caput Serpentis. Item, Ihoua iusticia nostra. Hoc est Corpus meū. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Si habue- ro omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum, nihil prodest, Sola fides iustificat. Si vis ad vitam ingredi serua man data. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claues regni cœlorum. Pasce oues meas. De horum, & similium dictorum interpretatio- ne, semper fuit & est controuersia. Quidam nimium præcise, non maliciose tamen, vr- gent Dictum. Contrà sententiam accumu- lant Ecclesiæ, patrumque iudicia & senten- tias. Qui se putabant, & iactabant esse or- thodoxos, à Deo declarati sunt pseudodo- xi. Sed inquirunt, De interpretatione audi- enda est Ecclesia, id est, ordinaria potestas docentium. Idem dixit Cain, & falsus est. Habel, cum Paulo inquit, Si quid reuelatū fuerit sedenti, id est, priuato, auditori, aut discipulo, taceat prior, id est, qui publicè docet. Spiritum nolite extinguere, omnia audite, admittite, & iuxta analogiam fidei

probate, quod bonum fuerit tenete. Christus inquit, Matt. II. Gratias ago tibi Pater cœli & terræ, quod hæc absconderis à Sapientibus & reuelasti paruulis. Ex ore infantium & lactentium perfecisti virtutem; Sed hoc inquirunt esse fantasticum, Enthusiasticum. Ideoque rursum idem audiunt à Domino, quod Cain, Tu falsa fascinatus es à Parentibus opinione, & errore, ideoq; superbis, & fratrem tuum præ te contemnis, nullam admittis fratris tui meliorem interpretationem, quin sit tuus fantastus, vilis, vanus, vacuus, opinione vagus, fungus, truncus, stipes, sermerus, & hæreticus, facis ipsi summam iniuriam, apud omnes traducis, deformas, & infamem facis. Iam postquam ad iudicium meum prouocastis, testimonium reddidi veritati: quiesce ergo, tuique fratris, immò meam approba sententiam, vince teipsum, acquiesce meliori iudicio, quâuis in viliore persona. Et quamuis tu, tuique Parentes estis natu maiores, & præstantiores fratre Habel, utique mihi concedite, qui sum natu maximus, qui fratris sententiam approbo esse veram, vetustas erroris & multitudo errantium nihil patrocinatur errori. Veritas omnibus præualet. Ad Legem, & Testimonium nisi dixeritis, non erit vobis Lux.

Itaque impij claro Dei verbo in conscientia

tia conuicti, aliquandiu simulant familiaritatem.

Et Cain loquitur ad Habelem fratrem suum)
 Hæc sunt illa instituta publica Colloquia, de conciliatione controuersiarum in Ecclesia, sed nihil solidi subest. Cain conuictus diuino iudicio, simulat ad fratrem Habelem beneuolentiam, quemadmodum Saul ad Dauidem, Pharisæi ad Christum, donec inueniant priuatæ uiuictæ oportunitatem. Eadem est perpetua omnium locorum, & temporum hypocritarum indoles, & serpentini generis proprietas, vt se sibilis, & circumflexibus insinuet, donec pungat, & mordeat. Ita Cain dum non potest diuinam detrectare sententiam, conuictus diuino testimonio concedit, & dum non potest proficere superbia, & authoritate, per hypocrisim simulat beneuolentiam, quasi iam quietus, & pacatus, donec nactus loci, temporisque oportunitatem, vt possit esse solus cum solo, separatus à multitudine sopitum resuscitat iurgium, actumque agit, sæuerius instituit colloquium, totamque hanc motam in ipsum reijcit controuersiam, quasi qui non acquieuit Parentum, Ecclesiæque iudicio, non agnoscit eum, quem Parentes, totaque agnoscit Ecclesia, sed priuata ingenij petulantia

singulariter sapit, non communicat suum iudicium cum Ecclesia, eaq; superbè contempta, seorsum suas fantasias imaginatur: habet proprias speculationes: suis indulget imaginationibus: detrectat maiorum iudicia: spargit priuatas opiniones, atq; ita facit dissensiones, scismata, contentiones, disputationes, controuersias, rixas, animorum distractiones: scindit vnitatem, consensum, pacem, & concordiam Ecclesiæ, parit maxima offendicula, dignus, qui suspensa à collo eius mola asinaria, demergatur in mare profundissimum, nihilq; esse consultius, quàm vt huiusmodi tumultuarius, scismaticus, apostata, entusiastæ, svermerus, & perniciosus hæreticus, priuatæ opinionis imaginator, sui ipsius infortunij faber, penitus tollatur è medio, id fore Deo & hominibus gratum obsequium. Nec prius fore in Ecclesia pacem, & controuersiarum finem, quàm ipse contentionum author, quoquo modo auferatur: saltem consulto opus est, vt fiat seorsum, clam, & absq; turba, quemadmodum totus senatus Iudæorum de Ihesu Christo vnanimi consensu concluderunt.

Habel in hæc, aut similia verba respondit, se facile ipsum agnoscere pro suo maiore, pro Pontifice & capite Ecclesiæ, modo re vera sit, & Deus approbet. Iam quia conuictus

nictus est claro, & conspicuo Dei testimonio, insuper à Deo vocaliter, & personaliter admonitus, cedat potius, quàm resistat Deo in suam ipsius perniciem, neue sibi incongruum vsurpet honorem, ad maius sui probrum. Neq; adeò negat ipsum esse Pontificem & Regem, Heroem, & Hæredem Ecclesiæ, sed typicum tantùm, ad verum illum diuinum, aliquando futurum. Neue ergo pugnet cum Deo magis, quàm cum homine. Quicquid huius hîc ab ipso fiat, pro Deo, & veritate fieri, non ad probrum cuiquam inferendum, aut queinquam de gradu, dignitate, officio, aut honore deiiciendum. Saltem ergo concedat Deo, & veritati: deponat fastum, & falsam de se conceptam opinionem: mutet falsam, vulgo hætenus sparsam & vsurpatam doctrinam iustificationis de Semine Mulieris, quam ex falsa Parentum, & Ecclesiæ opinione, interpretatione, & applicatione sibi hætenus mendaciter vsurpauit. Parentes iam dudû mutauerunt sententiam, dederunt honorem Deo, & concesserunt veritati. Idem ipse quoq; faciat, tunc fore omnia quietissima. cum utiq; maneat in sua dignitate, honore, & officio, nihilq; ipsi planè decedat quàm falsa opinio, error, & mendacium, quæ, vel si nullus moneat, sua sponte, & studio exueret, honesto, & pio viro incongrua

& neutiquam ferenda. Quæ Dominus maiore honore apud omnes bonos compesaret.

Eadem fuit modestia Dauidis erga Saulem, Christi, erga Pontifices, & Pharisæos. Nostra, erga Papistas, Cæsares, Principes, Episcopos, Superintendentes & Doctores nostros.

Sed quæ tunc fuit Caini indoles, eadem adhuc est omnium Cainicorum. Cain, potius quàm à Parentibus, totamq; Ecclesia tributum, & hæctenus gloriose vsurpatum, iam probrosè exuat, & deponat honorem, quin potius summa industria vindicet, & defendat, perpetuâq; litem pugno potius quàm disputando dirimat, armata manu, clam aggressus occidit FRATREM, arbitratus fore tectum, tacitum, beneq; sopitum facinus, & se in solito honore illustrem & veneratum, vt sequitur in textu.

Factumq; est, cum essent in agro, insurrexit Cain aduersus Habelem, fratrem suum, & occidit eum)
 Hic est exitus & finis controuersiarum: hæc est conclusio prolixarum disputationum in Ecclesia: hæc est illa prophetica merces quæ rependitur in verbo laborantibus, & veritatem Dei docentibus. Eadem est Cainicæ factionis indoles, omnium locorum, & temporum, potius quàm cedant Deo, & veritati, falsamq; opinionem, errorem, interpretationem, longeq; vsitatam doctrinam,

nam, morem, honorem, & auctoritatem deponant, & ab inferioribus meliorem informationem admittant, arguentes, & benemonentes, aut fœdissimo hêreseos, aut seditionis crimine apud vulgus deformant, officio exuunt, in exilium depellunt, aut damnatum ferro, flammaq; , aut quouis supplicij genere extinguunt. Idq; seorsum, & clâ, hoc est cû honesta excusatione, & pio prætextu officij, & zeli Dei pro veteri, & vsitata religione, & doctrina defendenda. Nullatenus fieri posse, nec esse consentaneû vero, diuinæq; bonitati maximè probrosum, vt rantisper Deus suam Ecclesiam permittat errare, tot, tamq; præstantes viros sinat in deuiio, & quod maximum est, hætenus in ea opinione mortuos, esse perditos, & damnatos. Quod si admitteretur & in vulgus spargeretur, maximam moueret controuersiam, animorum distractionem, & consternationem. Tandem autem solos istos rudes, ignaros, ignauos, & extremæ fortis homines scire veritatem, & plus alijs sapere. Se autem esse in Officio, & quotidie versari cum Parentibus, Patribus, & inter Doctores, se habere numerosos huius receptæ, vsitatæ, & ap. pbatæ doctrinæ discipulos, se ctatores, nō congruere, vt ad cuiusq; placitū facilè, & subito mutetur receptū gen^o doctrine, & religionis. Istos autē esse priuatos,

opiliones, gregarios, solitarios, melancolicos, & monstrosarum opinionum confectores.

Cogita quid Pallij, & excusationis huius nefarij sceleris prætexerit Cain suæ Synagogæ, quid filij Israel, fratres Iosephi, de suo plagio. Quid Saul aduersus Dauidé. quid Pontifices & Pharisæi aduersus Christum, &c. Donec iste tumultuarius erat superstes nullus erat modus nec finis rixarum, controuersiarum, disputationum, delationum, fugillationum ad vulgus, vt nullum inueniri poterat consilium melius, quin quoquo modo penitus tolleretur è medio. Quem admodum egregiè & copiosè describit Philo, Sapientiæ cap. 2.

Insuper etiam hoc valde crudele, & nimis molestium est, quod aduersarij vltra illatam iniuriam, & inflictâ vulnera, præter omnia tormenta & mortem, insuper etiam conuitiosè insultant, & sarcasinos conijciunt, in ipsa cruce felle & aceto potant, cum inquit. Hæc est fortuna eorum, qui plaris esse volunt, quàm alij, qui plus cæteris sapiunt, qui alios præ se contemnunt, & no ua pro suo ingenio cudunt, qui vsitatæ doctrinæ non acquiescunt, qui volunt esse singulares, & prædicari nouorum inuentores. Si siluisset, vixisset. Sorex suo indici perijt. Quisq; est suæ fortunæ faber. Quicquid hu
ius

ius factum est, sibi ipsi referat acceptum. Nos persistimus in v̄sitata Ecclesiæ doctrina, & religione, si errat, videat, & respondeat ipsa. Si erramus, cum multis erramus, & habemus nostri erroris commodam, & amplam excusationem, Nos paci, & concordiæ studemus, ideoq; contenti sumus receptis, & v̄sitis, non confingimus noua. Sufficiunt nobis quæ à Parentibus recipimus, quæ à nostris Doctoribus, & Magistris didicimus. Non sit discipulus supra magistrum suum. sufficit discipulo, si secundum suum præceptorem sapiat. Nos Præceptores nostros veneramur, quorum disciplinæ nos adstrinximus.

Sed quid dicant, quando diuina obijciuntur testimonia? Vtiq; Dominus Habelis sententiam approbavit, demisso cœlitus igne, & sacrificio accenso & assumpto. Vtique Dominus Somnia Iosephi produxit ad effectum. Certè, Dominus se Dauidem ad Regnum vnxisse ipsa victoria Goliath declarauit. Ihesum esse Christum tot signis & miraculis, deniq; ipsa sui à morte resurrectione demonstrauit. Item, quod ipse, & ipse docet, certè habet solidum verbi Dei fundamentum.

Ibi mira audias quanto studio, artificio, & sophistica eiusmodi obiectiones eludât, Ignis cœlitus lapsum, tunc fuisse in sacri-

cijſ vſitatum, aut caſum fuiſſe fortuitum: Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat: Aut Magiæ aſcribant, vt Phariſæi miracula Chriſti, per Beelzebub, principem dæmoniorum eijcit dæmonia. Aut bene dicta, & facta calumniantur, hoc eſt malicioſe interpretantur. Ita nihil tam ſolidè opponi poſteſt, quod non malicioſe, attamen honeſto prætextu, & ſplendido fuce eludant. Inſuper etiam gloriantur ſe iure, & catholicè egiſſe. Citatis pluribus exemplis Eliæ, qui occidit ſacerdotes Baal. item Iehu, qui tanum Baal cum ſacerdotibus exuſſit. Chriſti, qui prophanatores templi flagello eiecit. Item primæ Eccleſiæ Conciliorum, & Synodorum anathemata, iudicia, exilia & flammas aduerſus hæreticos citant,

Sed de hoc valde calamitoſum & moleſtū eſt, multosq; pios diuexat, quod Deus, impios in mala cauſa permittat, non retrahant à perſecutione, & homicidio. Suosq; fideles in bona cauſa deſtituat, non eripiat ab impiorum manibus. Atq; apparet, ac ſi piorum improbet ſtudia, & veritatis confeſſionem. Reſpondetur, Dominus vtiq; præmonuit Cainum, vt quieſceret, dedit ei, vt cuiſlibet, rectæ rationis libertatem, ea fruatur, quòd ſi abutatur, & pergat in malo inſtituto, prædixit non multum fore. Idem prædicat Dominus in cuiuſq; conſcientia, aut
per

per vocale verbum in ministerio, ante commissum peccatum. Si insuper pergat, & relaxet malis affectibus frenum, atq; obsequatur regnanti, & dominanti peccato, non auferet multū, quamuis videatur in sua impietate felix, vt Cain, qui genuit filios, construxit ciuitates, inuenit Artes, vidit magnam & florentem posteritatem, ac per omnia apparuit, ac si habuisset bonā causam. Sed videamus quæ tandem fuerint eius extrema, nempe seueræ, & æternæ iræ Dei Diluuiū.

Neq; adeo malè actum est cum Habele, & omnibus iustis malè peremptis, & ob veritatis confessionem malè affectis. Conformantur per hoc imagini Filij Dei, cuius tota hæc est causa. Qui ideo quod fatebatur se esse semen, Christum, occisus est. Ipse primis Parentibus, totiq; primæ Ecclesiæ in Habele typū suæ mortis ostendit. Itaq; Habel primus Christi martyr fuit, ac morte magis prædicat Christum, quàm si vixisset, vt Pueri Bethlehemitici. Mat. 2. Piorum mors preciosa est coram Domino, propter veritatis constantiā, multoq; amplius prædicant mortui, quàm si quietè vixissent. Iustorum memoria, nunquam moritur, semper viuunt, viret, floret, & fructificat in Ecclesia.

Itaq; occiso Habele pastore, oues absq; pastore redeunt, balant & vagantur. Parentes, totaque Ecclesia desiderant, & quæ-

runt pium & frugi virum Habelem, non comparentem plangunt, occisum lamentantur, ad Deum in cœlum pro tam nefarij facti vindicta clamant. Cain celestem fratricidium egregiè dissimulat, putans se Deū, vt homines factum posse cœlare. Eadem ratio est omnium Martyrum, Christi nomine occisorum, ab Habel vsque ad nouissimum iustum. Eadem facies est omnium Ecclesiarum de occisis suis bonis pastoribus, quæ fuit familiæ Habelis, certè luctuosa, & conturbatissima. Neque ipsi Parentes cogitassent, tam tristem sui erroris, & motę controuersiæ exitum: non putassent tam implacabile odium fuisse in Caino, etiam post diuinam conciliationem. Veram itaq; Cain pingit imaginem Antichristi, Catholicorum, & Ordinariorum in Ecclesia de errore taxatorū. Non quiescunt donec sanguinem fuderint, aut aliquid insigne patrauerint quo totā euouerint iram, quantumuis aliquandiu simulent beneuolentiam, donec suam inueniant oportunitatem. Primū induunt Vulpem, postea Leonem.

Sed videamus, quid tandem actum sit in hac causa: Parentes totaque Ecclesia luget, file, non potest tantos Heroas Ecclesiæ in ius trahere, supprimunt leges, dū ipsi sunt iudices, neq; Ecclesia habet ius gladij, committit negocium Domino. Et quòd valde conso-

consolatorium est, Dominus ad extremum de tot cædibus in Ecclesia aduersus iustos commissis non tacebit, tandem rapiet ad pœnas huiusmodi Fratricidas, aut per horrendas contingentias, aut per æterna tormenta, vt sequitur.

Et ait Ihoua ad Cainum, ubi est Habel frater tuus?
 Hic Ihoua, Christus est, constitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Eius est officium de suis occultè peremptis, aut honesto prætextu occisis inquirere. De qua sceleris impiorum, & cædis iustorum inquisitione diuinaq; vindicta, Dauid, cæterique prophetæ plerumque mentionem faciunt. Eaq; fit vulgò per pios, de sublatis, peremptis, & abiectis frugi viris. Magnoq; solatio debet nobis esse, quòd si nostri vindicta nò fit per Adam, & Heuam, seu per Magistratū, metu violentiæ Cain, aut per negligentiam, tandem tamen requiritur per Deum, miris contingentijs, aut certè in iudicio extremo ad quod vsq; perpetua manet piorum querela, & diuina inquisitio, de sanguine iustorum iuxta illud Apoc. 6. Usquequo Domine, sancte, & iuste, non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra? Et datæ sunt singulis stolæ albæ, dictumq; est illis, vt quiescerent ad tempus exiguum, donec compléantur conferui, & fratres eorum, qui similiter interficiendi

sunt. Est igitur mentio piorum interfecto-
rum, perpetua inquisitio. Vbi est Habel (em-
phaticè addit) frater tuus? quo aggravat sce-
lus, & mouet conscientiam. Non utiq; erat
hostis, sed conciuus Ecclesiæ, frater tuus, e-
iusdem fidei, & religionis, tuus deditissi-
mus, & benevolentissimus amicus.

Et dixit) contumaciter, & præfractè.

Non scio) Mentitur, peccatumq; aggravat
contra conscientiam, vt solent sibi securita-
tem persuadere, qui zeli Dei prætextu pios
viros, vt hæreticos, publicq; pacis turbato-
res è medio sustulerunt: videntur post lon-
gam inquisitionem vix meminisse, iamdiu
obliuioni tradidisse, dum terso ore vider-
tur se iure egisse, adeoque obsequium Deo
præstitisse, dum nemo hominū audeat con-
trà mutire, & vindicare.

Num custos fratris mei sum ego? Quid mihi
de Habele, tumultuario isto hæretico, ipse
suas, ego meas res curo: habemus diuisas
operas, & officia, videat sibi, quomodo ipse
Ecclesiam sua pertinaci, & erratica opinio-
ne turbauit: gaudeo eum esse sublatum: sit
vbi velit, modò nobis non obsit: ipso subla-
to iam Ecclesia habet pacem & tranquillita-
tē. Tāta est securitas impiorū, de interfectis
aut abiectis pijs, quando ipsorū fit mentio.

Et dixit) Iehoua Christus, tunc personali-

ter

ter in imagine Dei, humana forma appa-
rens, nunc per ministerium verbi loquens,
& impios arguens.

Quid fecisti?) Hæc vna voce, tangit, & exter-
ret eius cor & conscientiam de patrato sce-
lere. Quemadmodum semper sibi sceleris
conscij hac vna voce exterrêtur, *Quid feci-
sti?* de te est publica querela apud vulgus:
tota Ecclesia perpetuis gemitibus querula
tur de interfectis iustis, & frugi viris.

Vox sanguinis) communis querela homici-
dij, perpetui gemitus piorû sollicitant me,
dum nemo hominum audeat aduersum ty-
rannos mutire, & postulant vindictam.

Fratris tui) Emphatica aggrauatio est sce-
leris fratris tui, eiusdem fidei, confessionis,
& religionis, conciuis, non hostis Ecclesiæ:
cuius tamen propter communem fidem de
vita pepercisses, etiâsi intercessissent vobis
controuersæ, & diuersæ opiniones in re-
bus fidei, per me ab eius parte approbatæ,
cælitus incenso holocausto. *Clamat*) *Ux* ex
animi dolore clamat, querulatur, vindictâ
postulat, etiamsi nemo hominum causam
agat, te accuset, in ius trahat, ipsum tamen
factû clamat, & te reum agit, ac rem refert.

Ad me) Deum iustum, sceleris vindicem,
cuiq; suû reddentê, mediatê, aut immedia-
tê per contingentias, nihil mali relinquens

334 DE VERA VETERI
impunitum, nihilq; boni irremuneratum,
certa lege talionis.

De terra) in qua iacet profusus, cui nihil
est nocentius, quàm sanguis innocuus, te-
merè, & sceleratè profusus: vnde solet steri-
lescere, neq; unquàm potest redire ad fru-
gem, nisi intercesserit iusta vindicta.

Nunc ergo) sequitur iudicium vindicta, &
pœna aduersus sceleratos.

Maledictus sis tu) damnatus, pœnis addi-
ctus, tormentis subiectus, ab omnibus bo-
nis hominibus deuotus, malè ominatus.

A terra) quæ te reū agit, eadem erit tortor
carnifex, & ultor tuus: ipsa arguet, & puniet
tuum scelus. per quod quis peccat, per idē
punietur.

*Quæ aperuit os suum, et accepit sanguinem fratris
tui, de manu tua*) quæ tuo homicidio, & inno-
xio sanguine est infecta, male stercorata, e-
neruata, sterilis facta, & exusta.

Cum colueris agrum) Quæ est patris tui A-
dæ maledictio, illi insuper accedit maledi-
ctio frustrationis. Terra enim ab origine e-
rat à Deo benedicta, fœcundata sua sponte
fertilis, & frugalis, nunc autem per accidēs
tui homicidij, & innocij sanguinis per te
profusi, tui operis, cultureq; respectu, in po-
sterum erit sterilis, infrugifera, tuum pecca-
tū coarguet, & per frustraneos labores
scelus

scelus tuum in tua conscientia puniet, habebis mentem malè sibi consciam, perpetuum, & indiuiduum comitem, vt nescias quoquò te vertas, cum

Non adijciat dare uim suam tibi) Cum pro labore & cultura tua, referes caristias, vredines, tribulos, zizania, vnde sequitur fames, pestis, macies, & mors tandem. Dominus loquitur pro ratione officij Cain, qui erat agricultura: id intelligas de cuiuslibet officij frustraneo labore, & prouentu, in simili scelere.

Vagus, & exul eris) In ipso etiam exilio, semper quæres tuæ miseræ, remedium, nec inuenies געײבד geminata miseria, est abiectum & excommunicatum esse ab Ecclesia piorum, exulare, insuper & loci incertum, instabilemquæ esse, non posse ipsi loco de tuitione confidere, in ipso exilio trepidè vagari.

In terra) ארם non ארם non tantum in tua terra, aut agro, sed absolutè in terra, hoc est vbiq; terrarum, retrò te habebis tuum actorem, flagellatorem, & carnificè. Certè mallet aliquis mille mortes obire, quàm huiusmodi perpetuis pœnis excruciarì. Et quamuis lex talionis pro sanguine postulat sanguinem, & homicidium Caini postulasset ipsum ad homicidij pœnas. vtiq; Deus hoc

iudicio significare voluit æternas pœnas, & cruciatus pro conscio, & obstinato delicto, pro peccato in Spiritum sanctũ, nisi redeat ad pœnitentiã. Nam qui rapiuntur ad pœnas, iustificantur de patrato scelere, & si intercedat pœnitentia & fides in Dei misericordiam, ab æterno Dei iudicio absoluntur, & saluãtur. Ideoq; Deus Caino, & eius similibus perpetuas corporales, & terrestres pœnas infligit, vt eos tandẽ adigat ad pœnitentiam & conuersionem, vt sic tandẽ saluẽtur. Ideo inquit, Maledictus sis à terra, non inquit ex cœlo, quia quamdiu viuit homo in terris, viuit in tempore gratiæ, quantumuis acriter afflictus.

Et dixit Cain ad Iehoua) Cain conuictus, & iudicatus dãnatione corporali & terrestri, adactus est ad liberam spontaneam, & publicam confessionem, quam etiam Deus ab omnibus damnatis in inferno ad extremũ extorquebit, vt tandẽ liberẽ, & sua spõte dicat, Iustus es Domine, & rectũ iudiciũ tuũ,

Maior est iniquitas mea, quàm ut leuetur) Verba sunt desperatæ gratiæ, dũ Dominus nullius gratiæ ineminit, quẽ tamen non denegat, dum corporaliter in terris punit, quin ad eius pœtitionem interim compellit, quã qui non petit, non impetrat, sed relinquit ipsum suis pœnis, dum obstinatẽ ruit in desperationẽ. Ea est hypocritarum indoles, vt aut sint obstinati, nec sua sponte confiteantur, nisi adigantur, aut conuicti ruant in de-

sperationem gratiæ, fiantq; aduersus Deum
 blasphemi, & mendaces, dum Deū faciunt
 suis peccatis minorem, cum tamen Dei mi-
 sericordia superet omnia opera eius, id est,
 totum mundum, vt inquit Ioannes. Deus
 maior est, quàm nostra conscientia. Agnus
 Dei tollit peccata mundi. Mentiris iam, in-
 quit Augustinus, maior est Dei misericor-
 dia, quàm totius mundi delictū. Per hoc enim
 quod inquit, maior est iniquitas mea, quàm
 vt leuetur, expietur, aut remittatur: extenu-
 at excellentissimū, & absolutū Iesu Christi
 meritum, quod non tantū vnius hominis,
 sed totius mundi delictū superat, & tollit.
 Peccatum ergo desperationis, est omnium
 grauissimum, & aduersus Christū blasphe-
 mū. Melius ergo fecisset si dixisset, fateor de-
 lictum meū Domine, illudq; tam magnum
 est, quàm homo cōmittere potest in terris:
 attamen tua misericordia multò maior, &
 omnium maxima est. Remitte quæso mihi
 delictū meum propter gloriam gratiæ tuæ,
 Quam gratus desperationē quāuis colligit
 ex Iehouæ verbis, Iehoua tamen corrigit.
Ecce, eijcis me hodie à facie terræ) Sunt despera-
 tæ, aut recusatæ gratiæ collectiones. Abigis
 me, à cultæ & habitatæ terræ meę possessio-
 ne in exilium. *Et à facie tua fugiam*) Non tan-
 tum abijcior à cultæ terræ meę possessio-
 ne, sed etiam ab Ecclesia excommunicas; id
 enim est fugere à facie Iehouæ, à præsentia
 Domini, ab auditu verbi Dei, & parti-

cipatione sacramentorum, & vsu religionis, à communione sanctorum, in quibus Deus habitat, loquitur, gubernat, suum regnum administrat. Quid quæso est excommunicato homine miserius? maximè qui est sibi suæ culpæ conscius? Extra culpam autè in bona causa excommunicatos Christus consolatur. Ioan. 16. excommunicabunt vos à deo & interficient, opinione diuini cultus. Sed beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, seu iustam causam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & locuti fuerint omne malum verbum aduersus vos, mentientes, propter me, gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis. Longè ergo differunt excommunicati iustè, & iniustè.

Ero uagus & exul in terra) Est consternatæ mentis habitus, totiusq; miserię caput, semper esse pauidum, suæ vitæ incertum, nullibi posse tuto subsistere, nulli loco, vt satis tuto, confidere, semper metuere ne capiaris, & rapiaris ad supplicia, vbicunq; te abideris ad leuem auræ sibilum, folijq; strepitum exterreri, insomnes noctes ducere, inter dormiendum exclamare, gemere, alta suspiria ducere, ipsum facinus semper obuersari, eius querelas mente versari, iusta tormenta ideo expectare, aut certè diuinas
 contijæ

contingentias, Deiq; vindictam metuere. Hæc est infernalis furia Orestem exagitâs, quam quoq; ex parte, præter suam culpam, experiuntur profligati iusti, attamé habent bonæ conscientix testimonium, & Spiritus sanctus consolationem, saltem quòd sibi metuant à violentia, yt profugus Iacob ab Esau: David à Saule: Elias à Iesabele. Ni si quòd priuatæ culpæ aliquando concurrant, quas Deus simul punit & absoluit, vt Paulus in suis persecutionibus reminiscatur lapidati Stephani, afflictèq; à se Ecclesiæ. Dum iudicamur, à Domino corripi-mur, ne cum hoc mundo damnemur.

Ac fiet, ut omnis qui inueniat me, occidat me, Hoc addit de suo, ex nimia mentis consternatione extrema pericula colligens, vt omnibus sit liberum grassandi in afflictos, & calamitosos, quod plerumq; fit, & David sibi contigisse querulatur, super numerum vulnerum tuorum addiderunt. Quem tu percussisti, persecuti sunt. Ita & Christum in cruce potauerunt aceto & felle, blasphemiasq; accumulauerunt.

Inquit ei Ihoua, imò quicumq; occiderit Cainum septuplo uindicabitur) Dominus corrigit illâ additionem, ac serio vetat afflictò addere afflictionem. Quamuis Cain in Spiritum sanctum peccauerat, dum post diuinam decla-

ratione in conscio delicto obstinatè perrexit, fratremq; occidit: ne utiquã tamen vult vt penitus occidatur, vt sic per corporales, temporalesq; plagas ad pœnitentiã, & gratiæ petitionem retrahatur, iuxta illud Pauli, Corpus tradatur sathanæ, vt spiritus saluus sit in die Domini. Inde fit, quòd Dominus impijs parcat, iuxta illud: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat, Nam habuit utiq; Cain excusationis patrocinia per parentũ errores. Ideo Dominus Antichristo tam longa pœnitentiæ spacia 1260. annorũ, concessit, in superque addit per restitutum Euangelium commonefactiones. Atq; hoc exemplo Dominus serio vetat vltra Ius scriptum quicquam in fontes pro libidine agere: vetat quoq; iudicia mortis in partẽ aduersam, dum Christus vetat colligere zizania, ne simul eradicemus triticum. Quis ergo iussit hæreticos exurere? Cainica homicidiosa factio. *Apposuitq; Ihoua Caino signum, ne percuteret eum, quicumq; inuenerit eum*) Apposito signo sedulo cauet Dominus, vltra latam sententiã grassari in iudicatos. ita & Darius obsignat suo sigillo lacũ leonum, in quem coniectus erat Daniel, ne si leones ei parcerent, eius æmuli ipsum gladio confonderent noctu. Dan. 6. Quod, aut quale illud signũ fuerit, non est expressum, ideoq; ambiguum & coniectitium est, an tremor

totius

totius corporis, demissa facies, an quicquã aliud fuerit, iuxta illud, Heu quã difficile est crimen non prodere vultu. *Abijt ergo Cain à facie Ihouæ*) Est peroratio huius tragi ei actus, & executio iudicij. Sic discessit Cain à personali conspectu Dei, neq; in posterum ipsi conspectus est. Aut abire à conspectu Dei, est exulare ab Ecclesia, excludi à cõmunionem sanctorũ Dei, in quibus Deus habitat, versatur, loquitur, gubernat. Ita quoq; dicitur Ionas fugisse à facie Ihouæ, Ionæ I. Alioqui quò à facie tua fugiam, inquit David? Dominus cœlum, terramq; & inferos implet: vbiq; est præsens & potens, sua benignitate, aut seueritate. *Ac habitauit in terra Nod*) Habitauit, ergo certam sedem, & mansionem assecutus est, secumq; duxit vxorem sui exilij sociam, quæ omnia significant seueritatis mitigationem. in medio iræ, Dominus misericordiæ recordatur. Terra Nod, est terra exularis, respectu Ecclesiæ Adæ, & Heuæ, quorũ habitatio fuit in loco, vbi postea cõstructa Ririatharba, postea dicta Hebron in terra Chanaan, vbi quiescunt in spelunca duplici, quam emit Abraham in sepulturam. Terra autem exularis Caini, fuit ultra Libanum, vbi nunc est Damascus, olim dicta Hanoch, primum cõstructa à Cain, & appellata iuxta eius primogenitum.

Ad orientem Eden) Idem dicitur de Adam, qui expulsus ex Paradiso Eden, exulauit ei

orientaliter. Cain quoq; expulsus ab Ecclesia, ab Hebron, seu terra sancta, exulat orientaliter ab Eden. Vtraq; ergo Ecclesia Adamica, & Cainica, vera, & falsa manent in vicinia Paradisi, monte Libano limitis vice interposito. Vtræq; ergo sperant restitutionem salutis. Apparet inde, paradisum fuisse ubi nunc est vicinior pars maris mediterranei, per Diluuium penitus submersum, & collutum.

Ita Dominus ipse segregat veram à falsa Ecclesia, non tam loco, quam sensu, verasq; notas & signa discriminis falsæ Ecclesiæ apponit, vnde dignoscatur, nempe hypocrisis, sophisticam, & malam conscientiam, mendacium & homicidium, serioque vetat nostra aduersus ipsam iudicia mortis. Iubet permittere, vt fruatur suo tempore pœnitentiæ, donec ipsemet ad extremum iudicet obstinatos, quemadmodum tunc per Diluuium aquæ, ita nunc per Diluuium ignis, saltem ab ipsa abstinemus, neue aut seducamur, aut occidamus, non est quod speremus ipsam ad nostras partes accessuram.

Tantum de Protomartyrio Habelis, de Christo, in quo de primæ Ecclesiæ forma & fortuna, quæ typum præbuit perpetuæ Ecclesiæ in Mundo, ab eius initio vsque ad finem, in eadem conformitate: ne miremur de præsentibus tumultibus, neue speremus
 meliora.

meliora. quam olim fuerunt, donec transferamur in Cœlum.

Quæ sequuntur in hoc capite, pingunt falsæ Ecclesię splendorem & felicitatē præ vera ecclesia, semper afflicta, calamitosa, & lugubri, ne eius splendore, & præstantia, decipiamur, & solicitemur, vt ad eius partes accedamus, quemadmodum hoc suo furo ad se pellexit, & attraxit totam veram Ecclesiam, vix superante Noæh familia, secumq; iisdem casibus inuoluit, quod & de nostra Ecclesia meruimus, & quotidie experimur, dum pauci admodum sinceri supersint.

Falsa eadem habet, quæ vera Ecclesia, & plerumq; splendidiora, vt Coniugium, artes, politias, religionem, promissiones, & verbum Dei, sed cum falsa interpretatione, applicatione, vsu, & effectu. Cain vtiq; manet in sua falsa opinione & errore, quod ipse sit Messias, benedictum illud Semen, quod restituat mundo salutem, amissamq; felicitatem. quod indicat in prima suę Ciuitatis constructione, cohabitatione, communionem, & participationem, quasi Paradisi specie, quam ideo appellauit nomine primogeniti sui Hanoch, quod significat initiationem, seu renouationem, quasi qui velit lapsum instaurare, paradisi felicitatem initiari, & renouare, vt sic imprudentium ani-

mos ad se pelliceret, aggregaret, & in veteri sui æstimatione retineret, suumq; fratricidium iustificaret.

Et quàm artificiosi sint Sophistæ & hypocritæ isti Cainistæ, satis perspicuè indicat Lamech in defensione suæ digamiæ, contra institutionem Dei, propter quam vxores Lamech erant valde sollicitę, ne quoque propter transgressam institutionem coniugij, plecterentur à Domino, aut certè abijcerentur in exilium, sustinerentq; iram & seueritatem Dei. Quem metum artificiose elusit Lamech, argumēto à maiore sumpto negatiuè. Quòd si Cain propter fratricidium non est occisus, quanto minus ego occidar propter digamiam. Si virum occidisset, esset mihi in vulnus, si puerum occiderem, esset mihi in liuorem, seu plagam, quod certè à me factum non est. Sed commendandus sum potius propter digamiã, augendæ prolis causa. Quòd si Caini homicidium debeat septies vindicari, ergo Lamech pulsus propter digamiam, debet septuagies, id est, longè seuerius vindicari. Ita elusit Lamech institutionem Dei de coniugio, authorq; fuit polygamiarum in toto Cainismo, donec serpsit ad extremum in veram Ecclesiam, vt quantum libuerit, acceperint vxores. Vix sincera familia Noëh. Gen. sexto. vnde tandem pullularunt tan-
tæ dif-

ta discordie, diuortia, obſcœnitates, & vaga venusin matrimonio, vt tandem attraxerit totum Diluuium aquæ. Quas Cham post Diluuium in Orbem reduxit. Noæh autem sedulò apud suos ianiculos in Italia veram coniugij institutionem stabiliuit, quamuis etiam Cham non penitus permisisset sinceram, donec Apollyon noster ante diluuianus, matrimonij prohibitione apud sacerdotes, vaga venere totum orbem conspurcauit, ac tandem totum Diluuium ignis ad vindictam breui attrahet. Domini
 nus benignè nos
 feruet, Amen.
 men.

F I N I S.

B A S I L E A E.

Per Henricum Petri, & Petrum
 Pernam.



